VOCABULARIUM ARCHITECTURAE AEDIFICATORIAE AUTHORE CAROLO DE AQUINO...

Carlo : d' Aquino, Josè Maria Fonseca de Evora

Digitized by Google

Digitized by Google

5 . 3 . 394

Digitized by Google

Digitized by Google

9 . 9 . 376 BC

VOCABULARIUM ARCHITECTURÆ ÆDIFICATORIÆ.

Digitized by Google

Digitized by Google

VOCABULARIUM
ARCHITECTURÆ
ÆDIFICATORIÆ

AUTHORE

CAROLO DE AQUINO

SOCIETATIS JESU.



ROMÆ, MDCCXXXIV.
Typis Antonii de Rubeis, in via Seminarii Romani.

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

Digitized by Google

PRÆFATIO
Ad Lectorem.

ÆQuus, obſecro, mihi ſis, Lector benevole, unum, vel alterum brevi proloquio præmonenti. Commentarios in Vitruvium, prolixaſque in univerſam Architectonicen diſſertationes lucubrarunt affatim viri docti. Mihi vocabula ad eam ſpectantia recenſere, iiſque digerendis explicandiſque laborem impendere, ſuaſit nobiliſſimæ facultatis ſtudioſis vigiliolas haſce meas gratificandi animus. Et quoniam omnia complecti, quæ in immenſum abeunt, non fuit otium, prætermiſſis hydraulicis, polemicis, pneumaticis, ſciothericis molitionibus, nedum parergis, & diverticulis anxiè quæſitis, intra Ædificatoriæ cancellos ſubſiſtere ſolùm ſtatui; ut intelligas cum cæmentis dumtaxat, marmore,

& me-

Digitized by Google

& metallis, quatenus ſtructuræ ſerviunt, mihi eſſe negotium. Munitiones bellicas conſultò ſummatim tetigi, propterea quòd amplè illas operosèque expoſui in Lexico Militari; quod ſuper iis ſi conſulueris, ut te laboris non pœniteat, ſpero fore. Quod ad inſtrumenta, & machinas attinet, eas tantum decerpſi, quibus præteritis, percipi, tradique ædificatoria Architectura non poteſt. Brevitatis demum ſtudio, Scriptorum teſtimonia, ubi ſatis notæ voces occurrunt, omittere, indicatis tamen plerumque locis, ſatius duxi: quæ minus compertæ ſe objicerent, ut eas locis adductis ſuſtentarem, operæ non peperci. Paucula hæc in anteceſſum ut noveris, e re tua, meaque eſse cenſui.

FRAN-

Digitized by Google

FRANCISCUS RETZ

Præpoſitus Generalis Societatis Jesu.

Cum librum cui titulus: *Vocabularium Architecturæ Ædificatoriæ*, a P. Carolo de Aquino Societatis noſtræ Sacerdote conſcriptum, aliquot ejuſdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi poſſe probaverint, facultatem facimus, ut typis mandetur, ſi iis, ad quos pertinet, ita videbitur; cujus rei gratia has Litteras manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus.

Romæ 10. Aprilis 1734.

Franciſcus Retz.

Im-

Digitized by Google

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo P. Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

N. Baccarius Epiſc. Bojan. Viceſgerens.

QUod in Lexico Militari, idipſum P. Carolus de Aquino Soc. Jeſu in hoc Architecturæ Ædificatoriæ Vocabulario laudabiliter præſtitit; omnia ſiquidem ſcitè, nitidè, eruditè, pro induſtria, pro dignitate tractavit. Ideo, cum juſſu Reverendiſs. Patris Jo: Benedicti Zuanelli Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtri Opus hoc attentè legerim, nihilque Fidei, moribuſque contrarium repererim, Typis utiliter mandandum cenſeo. Romæ Kal. Jun. MDCCXXXIV.

Michael Joſeph Morei.

IMPRIMATUR.

Fr. Jo: Benedictus Zuanelli Ord. Præd. Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter.

ABACUS.

Digitized by Google

A

ABacus. Apud Vitruvium pars illa eſt, quæ, ad modum tegulæ quadrilateræ, reflexis ad venuſtatem lateribus, columnæ capitulum complet. Errant facilè qui ſimile in baſi ornamentum intelligunt, in errorem inducti ex cuba, ſeu quadrangulari utriuſque forma. Nam licèt maxima ſit harum partium ſimilitudo, & appellatione Italica promiſcue dicantur *Dadi*, pars tamen illa baſis dicitur potius Plynthus, Latinè Later, Laterculus, Italis *Mattone*, *Quadrello*, *Orlo*; In capitulo autem appellatur Abacus; Latinis operculum. Alia notione Abacos nuncupabant Veteres quadrata quædam ſpatia, quibus parietes diſcriminabant, quæ bitumine, fragmentis vitreis, & aliis medicamentis imbuta, vel lapillis pumicoſis diſtincta, pulcherrima emblemata, veluti totidem picturas, referebant. Idem Vitruvius, & Plinius meminerunt. Rarus hodie eorum uſus in ædificiis urbanis, quæ tapetiis, peripetaſmatis, varioque illuſtrantur ornatu ſerico. In ruſticis vero virorum Principum ædificiis locum habent; deſerviuntque ad fontes, pilas ſtructiles, & ſimilia ornanda. Abacum, partem capituli, dicimus, ut notatum eſt, *Dado*; cum indicat commemorata ſpatia, vocamus *Ripartimenti*, *Compartimenti*.

Abaculus. Parvus abacus. *Quadrelletto*. *Plinius*.

Abason. Carens baſi. *Gloſſ. Iſid.* a baſi, & negante Græcorum particula.

Abaton. Latinè inacceſſum. Singulari ſignificatu ſic appellarunt Rhodii munitionem erectam ad tegendum Artemiſiæ trophæum. *Vitruv. l.* 2. 10.

Academia. Vide *Athenæum*.

Digitized by Google

ACAENA. Columellæ Acna. Fuſtis longior, ferro acuminatus, quo boves ſtimulantur. Inde translatus ad perticam menſoriam decem pedum, ſive decempedam, Agrimenſoribus, & Structoribus commune inſtrumentum. De hac, & aliis agrorum menſuris, vide Salmaſium ad Solin.

ACANTHUS. Notæ genus herbæ: *Branca Urſina*. Quomodo ejus foliis exornentur capitula ordinis Corinthii, & Compoſiti, vide in voce *Calathus*.

ACCEPTORIUS, a, um. Apud Frontinum de *Aquæduct.* Modulus acceptorius eſt, qui puteo immerſus aquam haurit: opponitur erogatorio, qui in altum elevatus aquam refundit.

ACCESSIONES. Item Adjectiones, & Adjecta dicimus, prominentia quædam, & exuberantia in ædificiis membra, quæ ad majorem firmitatem, vel elegantiam, præter regulas artis, interdum adſtrui ſolent. *Aggetti*, *Sporti*.

ACERATUM OPUS. Dicitur ab acere, tritici purgamento. Apud Feſtum eſt quod luto & paleis miſtum extruitur. Munitiones acerato farctas dixeris, quæ opere tumultuario attolluntur. *Terrapieni*. Sed & parietes luto ſubacto antiquitus ſtruebantur, cum ignota erat ratio arenæ foſſilis calciſque miſcendæ. Quod hodie etiam, in maceriis præſertim, perdurat. Palladius: *Macerias luto, & lapide excitant*. Item Petronius de Priſcis.

Et paries circa palea ſatiatus inani,
Fortuitoque luto clauſos munibat agreſtes.

Pudet nos modo fabricas luto ſtruere, immemores originis noſtræ, qui generis tam amplam, tam excellentem nobilitatem ex luto compacti traximus.

ACROBATICON. Machina ſcanſoria, vel terræ defixa, ut cenſet Turnebus, vel ductilis, ut opinatur Barbarus. Simile quidpiam putaverim ſcanſorio pegmati, quo utimur ad altiores parietes dealbandos.

ACROTERIA, orum. Vitruv. l. 5. 12. extantes & eminulæ ædificiorum ſummitates. Singulari acceptione pilæ, baſeſque

Digitized by Google

ſeſque minores, quæ in ſummis faſtigiis ſtatuas & ſigilla ſuſtinent. Ita Baldus cum Philandro, & Barbaro. *Piedeſtalletti*, *Quadricelli con ſtatue*.

ACTUS. Non ſolum apud Agrimenſores, ſed etiam in aquæductibus menſura eſt pedum centum & viginti; intra quod ſpatium puteos conſtrui præcipit *Vitruvius l.* 8. 7.

AD UNGUEM. Abſolutè & perfectè. A marmorariis, qui tunc marmor bene levigatum exiſtimant, cum ſuperductis unguibus nihil aſperi offendunt.

ADMOLIOR. Structuræ quidpiam addo, vel operosè prægravia ſubmoveo. Curt. *Rupes prææltas admolita natura eſt.*

ADUMBRATIO. Rudis operis deſcriptio. Cic. in Orat. *Abozzatura*, *ſchizzo*. Vide *Ichonographia*.

ADYTUM. Pars templi ſecretior, ubi ſacris ſolum miniſtris eſt locus. *Virg.* 2. *Æn.*

—— *iſque adytis hæc triſtia dicta reportat.*

Adytum apud Græcos negatum ingreſſum ſignificat, cui opponitur aditus Latinorum. Adyti Ethnicorum exemplar fuiſſe ſanctius penetrale in templo Salomonis *Sancta Sanctorum* nuncupatum, locumque extitiſſe ſubterraneum, opinatur Salmaſius in *Solin.* Oracula ibidem reddita diſcimus a Seneca. *Thyeſt.* 4. 1.

Reſponſa dantur certa, dum incerto ſono
Laxantur adyto fata.

ÆDES. Pro templo, tam ſingulari, quam plurativo dicitur numero; ſed apponi ſolet Numen, cui eſt dicatum: Ædes Minervæ, Telluris, Jovis &c. *Tempio*, *Chieſa*. Item pro domo, etiam ſingulari numero, quod Grammatici aliquot falsò denegant. *Curt. l.* 8. *Proximi foribus ædis, in qua Rex acquieſcebat.* Vide *Domus & Templum*.

ÆDICULA. Parva ædes, parvum templum. *Liv. l.* 35. *Ædiculam Victoriæ Virginis dedicavit*. Etiam ſacellum. *Cappella*.

ÆDIFICATIO. Ædificandi actus. Bipartito dividitur a Vitruv. *l.*1.3.

Digitized by Google

l. 1. 3. Nam vel communium operum eſt collocatio, vel privatorum. Privata propriæ cujuſque ſunt ædes: publica ædificia vel defenſionem ſpectant, ut mœnia, & munitoria, quæ plurimæ recenſentur, ſtructuræ; vel religionem, ut templa, fana, ædeſque ſacræ; vel urbanæ vitæ neceſſitatem aut opportunitatem, ut fora, porticus, theatra, & his ſimilia. In hiſce autem omnibus habenda eſt ratio firmitatis, quod præſtabit materiæ electio diligens, avaritia ſumptus faciendi ſecluſa; utilitatis, quod efficiet commoda diſtributio; venuſtatis, ut quod ſolidum, & utile comparatum eſt, ſit etiam ad ſpeciem, & aſpectui gratum.

ÆDIFICATIUNCULA. Parvum ædificium. *Cicero*.

ÆDIFICIUM. De qualibet fere ſtructura dicitur.

ÆDIFICATOR. Qui ædificat. *Cicero*.

ÆDIFICO. Non ædem ſolum, ut vox ſonat, ſed quodlibet artefactum conſtruo, ut navem, machinam, portum, theatrum &c.

ÆQUIPONDIUM. Æquitas ponderis. *Vitruvius*. Eſt etiam maſſa globoſa ſolidi ferri, certi ponderis, annulo ſtateræ inſerta, & per eandem ultro citroque ductilis; ibique deſignat, ubi ſiſtit in æquilibrio. Eam Græci, a figura, non ab officio, ducto nomine, vocant Sphæroma. *Marco*, *Romano*.

AETOMA, atis. Faſtigium domus, forma triangulari, in quo ſtatuas, & imagines conſtitui conſueviſſe, notat Vopiſcus in vita Floriani. Spartianus Trichorum vocat. Templorum olim, ſacrarumque ædium ornamentum fuit. Primus Cæſar id faſtigii genus habere cœpit domi ſuæ, inter alia quæ uſurpavit, divinitatis inſignia. Idem conſequentes Cæſares imitati ſunt. Nam privatarum ædium tecta plana erant, ſine Aetomatis, & Trichoris, quæ ornamenta, Acroterii genus licet interpretari.

ÆRARIA, æ. Fodina æris. *Plinius*.

ÆRARIUS. ii. Qui fabricat opera ænea. *Plinius*.

ÆRARIUM. Pecuniæ publicæ, & rerum pretioſarum repoſitorium.

Digitized by Google

torium. Conſtitutum Romæ in Æde Saturni; deſignatique Præfecti, ſeu Tribuni Ærarii, ſpectatiſſimi Cives, & quorum fides multis experimentis eſſet comperta. Quantam vero pecuniæ ſummam Auguſtus primùm, poſtea Cæſares alii congeſſerint, incredibile memoratu eſt. Generatim de ea ſcripſerunt Dio, & Svetonius. Periit Appiani liber, in quo de ejus ſumma ſingillatim ſe ſcripturum recepit in diſpoſitione ſui Operis. Ariſtoteles lib. 2. Polit. damnat Spartanorum incuriam, quibus nullæ erant ad uſus publicos congeſtæ opes. Athenienſes contra mille quotannis talenta in Ærarium referebant, authore Thucydide, capitali ſuplicio iis propoſito, qui ſacram illam pecuniam in alios uſus derivarent, niſi extremo neceſſitatis articulo aliud ſuadente. Ærarium propriè populi eſt, Fiſcus Principis. Tribuni primùm, ut dixi, apud Romanos Ærario præerant; poſtea verò Quæſtores; donec ſub Cæſaribus novi creati Magiſtratus, appellationibus variis Cuſtodes pecuniæ Principum, & largitionum.

Æs, æris. Metallum notum. Ab adjunctis, a regione, vel uſu nomenclaturas varias ſortitur: Æs Corinthium, Cyprium, Deliacum, Ægineticum, fuſile, ſignatum, coronarium, inauratum. Fit, teſte Plinio, ex effoſſis lapidibus ærugoſis chalcite, vel cadmia. Apud Cyprios inventum perhibetur fortuito metallorum confluxu, ut Florus, aliique referunt. Negat id tamen Bocardus; contenditque ante ejus miſturæ caſum, æs apud Cyprios in uſu fuiſſe. A Rege Servio primum ſignatum tradit Plinius, impreſſumque nota pecudum, ex quo pecuniæ nomen. Idem addocet, æra magni frigoris tempore fundi oportere; &, quod vix credibile memoratu eſt, exterſa facilius rubiginem contrahere, quam neglecta. Æs ab aere dicitur, cujus impreſſione fit ſonus. Neque enim ullum ex metallis ære magis eſt ſonorum. Hinc adagium *Æs Dodonæum* in homines impendio loquaces & garrulos, a pelvi ænea in urbe Dodona, quæ a pueri ſtatua

ſtatua flagello item æneo percuſſa ingentem tinnitum reddebat. *Auſonius*:

Nec Dodonæi ceſſat tinnitus aheni.

AFFIXA, orum. Quæ ad domum pertinent; cujuſmodi ſunt januæ ligneæ, feneſtræ, & ſimilia. Locum habet vocabulum in ædium locationibus. Locare domum cum affixis. *Pandectæ*.

AGGER. Non ſolùm de munitione ex terra cæſpititia, vallis, paliſque adnexis firmata, verùm de lapideis etiam dicitur, cujuſmodi apud Cæſarem, alioſque Hiſtoricos plurimi occurrunt. Fiunt ea munimenta ad tegenda caſtra, arces, portus &c. Item ad infrenandos amnes, & æſtuaria, ne exundantia, ſpondaſque egreſſa, agros infeſtent: ad tormenta etiam fulminalia diſponenda deſerviunt; & non una appellatione vocantur *Parate*, *Terrapleni*, *Argini*, *Ripari*, *Parapetti*, *Trincere*, *Batterie*. Celeberrimi ſunt aggeres, quibus Anglia a Scotia, Regnum Sinenſe a Majore Scythia ſejungitur.

AGGER VIÆ TECTÆ. Prætentura ultra foſſam ad tuendam viam tectam; ambulacrum valli; lorica valli in planitiem deſinens. *Spaldo*, *Spalto*.

ALÆ. Partes propugnaculi, quæ cortinam, ſive loricam murorum reſpiciunt; eique in angulum coeunt. *Ale*, *Fianchi del Baluardo*. Apud Vitruvium Alæ dicuntur parietes interjecti in pluribus ædificiis. Item muri erecti ab utraque templi, theatri, vel porticus parte; & ſimilis in iiſdem ordo columnarum. Italis etiam *Ale*.

ALBARIUM, ii. Flos calcis dilutiùs maceratæ, admiſto glutino, quo illinuntur parietes, calce prius loricati. *Bianco*. Idem nomen habet, cum admiſcetur contuſo pulviſculo marmorario. *Stucco*. Tectorium pro albario etiam dicitur, authore Vitruvio. Advertendum tamen eſt cum Salmaſio latius quiddam eſſe tectorium: neque enim de integumento ex ſola calce diluta dicitur; ſed uſurpatur promiſcue de tegumento ex cruſtis, gypſo, calce, marmorario, & verſicoloribus etiam lapillis.

AL-

ALBARII, orum. Qui albarium inducunt. *Leg.* 2. *Cod. Theodoſ. de excuſ. artif.* Imbiancatore.

ALBINI, orum. Vide *Dealbatores*.

ALTARE. Ubi ſacrificium peragitur. Ab altitudine nuncupatur. Altaria vocabant Veteres, quæ Diis Superis ſolùm erigebantur; aras, quæ tam Superis, quàm infimis. Cauſas, quamobrem conſpicuo excelſoque in loco erigerentur altaria, tres affert Sophoclis Scholiaſtes. Primùm, quia altiſſimo Deo altis in locis eſt offerendum. Iterum, ut Dii e cœlo propinquius exaudirent offerentium & ſuplicantium vota. Poſtremò, quoniam in ſublimi poſita profanationi minus erant obnoxia. De altari in templo Hieroſolymitano apud Hebræos; item de ritibus dicandi apud nos, ſacrandi, denudandi, velandi, abluendique altaria, vide Hofinannum, & Macros Fratres. Vide *Ara*.

ALVEOLATUS, a, um. Quod eſt ad modum alvei excavatum. *Vitr. l.* 3. 3. *Stylobata alveolatus*.

ALVEUS. Quadratum ſtylobatæ ſpatium, undique præcinctum coronide. *Cavo*, *Letto*, *Vano*, *Fondo*, *Sfondato*. Item in balneis locus, & quaſi foſſa, & piſcinula, per quam aqua defluit. Quin etiam vas amplum, ubi lavabant. *Bagno*. In aquæductibus verò receptorium ex majore rivo, vel emiſſario. *Vitr. l.* 5. 10.

ALYPTERIUM. Locus ubi Palæſtritæ loti ungebantur. Item ubi Alyptæ, ſervi balneares, lotos ungebant, ex quo nomen Alypterii ex Græco. Eorumdem balnearium ſervorum inſtrumenta erant gutti, lintea, ampullæ, lenticulæ, ſpongiæ, ſtrigiles.

AMBO, onis. Editior in templo locus, & populo conſpicuus, ubi ſacri Oratores verba faciebant. Ibidem indicebantur Eccleſiaſticæ ſanctiones, & Diaconus Evangelium legere, & Paſchale Preconium decantare erat ſolitus; Epiſtolæ etiam, Lectiones, & Evangelia in ſacris Liturgiis inde legebantur. Prudentius Periſteph. *Hymn.* 11. de S. Hyppolito.

Fronte

Digitized by Google

Fronte ſub adverſa gradibus ſublime tribunal
Tollitur, Antiſtes prædicat unde Deum.

AMBRICES. Tegulæ, quæ in tectis collocantur aſſeribus tranſverſæ. *Feſtus*. Pianelle.

AMBULACRUM. Pars ædium, pomarii &c. ad ambulandum idonea, *Loggia*, *Galleria*, *Viale*.

AMBULATIO, onis. Non actus ſolum, ſed etiam locus ambulandi. *Vitr. l. 5. 9. Circa theatrum ſunt porticus, & ambulationes*. Ambulatio autem vel eſt aperta, & Latinis dicitur ambulatio ſubdialis, Græcis Hypetra, vel eſt parietibus & fornicibus concluſa, & Latinis appellatur ambulatio tecta, Græcis Hypogæa, ideſt ſubterranea. Ambulationes Romanorum porticus erant inter ſilveſtres arbores & platanones, cum adjectis per certa intervalla ſtationibus ad quieſcendum. Vide *Cryptcporticus*.

AMPHIPROSTYLOS. Columnas tam in anteriore, quam in poſteriore parte habens. *Vitr. l. 3. 1.*

AMPHITHALAMUS. Vide *Thalamus*.

AMPHITHEATRUM. A Veſpaſiano extructum, dedicatum a Tito, a Domitiano inſtauratum. Ædificium figura ovali, latiſſimo ambitu, admirabili ſtructura poſitum; ubi magnificentia Cæſarum immenſas opes, architectura extremos ingenii conatus, robur inexplicabile Artificum labor exeruit; ut planè laceſſendæ æternitati videatur extructum, & ad oſtentandum quo demum inexhauſtæ opulentiæ fundus, & ſtudioſa ingenii mortalis ambitio provehi poſſit. Licet Gothorum ſævitia, & injuria temporum, dimidia fere ſui parte ſit dirutum, perſtat tamen, nullis facilè molitionibus ſoliditate operis, & ſtructuræ magnificentia comparandum. Architecturæ ordines affabre diſtinctos facies exhibet, aliis ſupra alios in ſingulis præcinctionibus uſque ad ſupremum faſtigium aptè appoſitèque diſpoſitis. Interiores gradus, ſeu potius conſcenſionum pulvilli ſtructiles, cum adjectis porticibus, innumeros fere ſpectatores excipiebant, ea arte

Digitized by Google

cuneis comparatis, ut ſine aliorum incommodo, abeundi, recedendique cuilibet facultas eſſet. Diſcriminata ſedilia, ratione habita dignitatis Senatorum, Magiſtratuum, Patritiorum, & Populi. Præfoſſa ſub terram ſpatia ad retinendas aquas, inducendaſque ad uſum Naumachiarum. Specus; caveæque feris aſſervandis extructæ. Omnia demum quadrato lapide mirè colligata, in eamque molis altitudinem perducta, ut delaſſari ſe fere oculi ſentiant. Ludis olim, Venationibus, & Gladiatorum certaminibus Amphitheatrum deſerviit: idem poſtea longe clarius SS. Martyrum ſupliciis, & ſanguine nobilitatum.

AMUSSIS. Regulam, qua aliquid exæquatur, exponit Feſtus. Vetus eſt dictum. *Ad amuſſim lapis eſt applicandus, non amuſſis ad lapidem*. Falſus arguitur Budæus, qui cenſuit, amuſſim filum eſſe rubro colore tinctum, quo fabri materarii ligna dirigunt ad ſecturam. Licet enim ab iiſdem fabris colore rubro tingatur filum vel reſticulus, ut ſecandi in rectum habeant ſignum, & ita tinctus reſticulus rubrica dicatur a Perſio,

Ac ſi oculo rubricam dirigat uno,

nihilominus a Cæmentariis ſimplex albumque filum, vel reſticulus adhiberi ſolet; uſuſque eſt ad ſpatia dirigenda, ut ſtructura æquata conſiſtat. Hinc apud Gellium *Amuſſis alba in lapide albo*, adagium dici ſolitum de nullo diſcrimine habito. Uſurpavit Plato in Charmide, affirmans, Socratem erga adoleſcentes perinde ſe habuiſſe, ac amuſſim albam in lapide albo: nimirum quoniam æquo omnes amaret animo, nulla habita ratione venuſtioris formæ, quo vitio ſe falſo inſimulatum profitebatur. *Filo*.

AMYGDALATUM OPUS. In ſtructura dicitur, cum Laterculi in ſpeciem amygdalarum, forma fere triangulari, non directè, & ſupinè, ſed obliquè, & in latus coeunt. Eodem opere occurrunt paſſim in templorum veterum pavimentis elegantiſſima emblemata ex lapillis marmoreis verſicoloribus. Diſtinguitur amygdalatum opus a

Digitized by Google

reticulato, quoniam hoc quadratis conſtat Lateribus, erectis in latus ad modum retis expanſi.

ANABATHRUM. Juven. Sat. 7. editior in ædificio locus, & plerumque ſcanſilis. Pulpitum, contignatio porrecta, ſimile quidpiam Veterum Mœnianis. *Pulpito*, *Palco*, *Poggiolo*, *Loggia*, *Ringhiera*, *Balcone*.

ANACLYTIRIA, orum. Occurrunt apud Lampridium, & a Grapaldo cubicula ad meridiandum, vel dormiendum meridie exponuntur: ſed aliis ſunt ſellæ diſcubitoriæ.

ANAGLYPTA, aliis ANAGLYPHA, orum. Cælaturæ in plano eminentes, & plerumque inæquales. Opponuntur Diaglyphis, quæ ſunt inciſuræ depreſſiores & excavatæ; cujuſmodi viſuntur in gemmis annularibus, ſigilliſque æneis vel argenteis, quibus litteræ obſignantur. Vide *Eminentia*. Rilievo.

ANAGLYPTICE, es. Ars cælandi, ut ſupra.

ANAGLYPTES. Sculptor, ut ſupra. Juven. Sat. 9.

ANAGLYPTICUS, a, um. Quod eſt cælatum, ut ſupra.

ANATONUS, a, um. In nervis, & funibus machinarum dicitur, quod eſt laxius tenſum; ut Catatonus, cui a nervis major eſt vis tenſionis. Nam breviores nervi majorem, longiores minorem vim faciunt. Homotonus demum dicitur, quod eſt æqualiter tenſum. *Vitr.* l. 1. 1.

ANCÆSA, orum. Vaſa ſunt apud Feſtum, cælaturis aſpera a cædendo, quaſi inciſa.

ANCON. Ancones bini ſunt conflexus ad Oſtiorum ſupercilia utrinque appoſiti, ut prominentes coronas ornent, atque ſuſtineant. Græci Peritherides, quaſi ſupra januas appellant. *Cartocci*, *Cartelle*, *Cartelloni*. Vitr. l. 3. 3. Ancones vocat in ſtriis columnarum flexuras in earum cavitatibus. Eidem ancones ſunt normæ brachia, *Squadra*; atque etiam brachia nervorum vel funium in machinis. Illuſtris in Piceno Civitas, Ancon dicitur a flexura in cubitum, qua in mari prominet.

ANDRON. Apud Vitruvium l. 6. 10. Locus ſunt Andrones in ædibus, ubi viri, ex quo dicuntur, ſeparatim a fœminis

Digitized by Google

minis degunt. Opponuntur Gynæcæo, ubi fœminæ verſantur ſeparatim a viris. Etiam in templis Andron locus eſt, viris aſſignatus, ſejunctus a fœminis, quem morem antiquiſſimum fuiſſe, & ab Hebræis etiam obſervatum, contendunt Macri Fratres: *Lexic. Sacr.*

ANDRONIDES, aliis ANDRONITIDES. Idem quod Andrones. *Vitruvius* ibidem.

ANGELLUS. Parvus angulus. Lucretius.

ANGULUS. Pars in ædificiis omnium firmiſſima, quod majore nexu & ſoliditate efficiunt duæ lineæ in idem punctum deſinentes.

ANGIPORTUS. Via ædificiis quidem frequens, ſed carens exitu, & parum extenſa; etiam anguſtior; ex quo facilè origo nominis. Crebros Romæ fuiſſe angiportus, ex plurimis colligitur Scriptorum locis, qui hujus generis viarum meminerunt.

ANNULUS. In Capitulo Columnæ Doricæ Annuli referunt gradus quoſdam inter echinum & hypotrachelium; a quibus membris nectendis dicuntur annuli. *Regoli*, *Gradetti*, *Anelli*.

ANORMIS, e. Sine norma. Quod a regula deflectit. *Horat.* l. 2. ſerm.

ANSA. Vitr. l. 2. 8. Fibula, clavis, vel junctura ferrea. Item catenæ caput. *Fibbia*, *Affibbiatura*. Item quo quidpiam apprehenditur. *Manico*. Hinc anſam præbere, vel quærere, eſt occaſionem tradere, vel captare. Sapienter Epictetus rei cuilibet duas eſſe anſas ſcripſit, alteram, qua apprehendi poteſt, alteram, qua non poteſt: ſtudendum proinde, ut qua parte quidpiam obtineri poſſit, arripiatur, non qua non poſſit. Plutarchus vero humano corpori multas eſſe dicit anſas vitiis inducendis, unicam ſolum virtuti, nempe aures, quæ honeſtis & eruditis ſermonibus audiendis, non pravis & ineptis pateant. Sed prius dictum accepimus in ſacris Paginis: *Audi Iſrael mandata vitæ*, *auribus percipe ut ſcias prudentiam*.

ANSULA. Parva anſa. *Valer. Max.*

Digitized by Google

ANTÆ, arum. Nonius exponit pilas lapideas, Feſto ſunt latera Oſtiorum. Sic appellantur, quoniam ante collocantur, ſicut poſtes nuncupamus, quod in poſteriore ſint oſtii parte. Cæterùm quidquid in fronte munitum eſt, & aditum tuetur, antas, ſive antes dicimus. Hinc templorum, & vinearum antes vocamus frontes templorum, & primos vinearum ordines, ſeu potius macerias, quibus vinea clauditur. Diſtinguunt tamen aliqui antes ab antis, & antas interpretantur pilas, vel columnas quadratas ad januarum latera; antes vero ordines anteriores, non ſolum a fronte ædificiorum, ſed etiam in vineis, agris, & ſimilibus. Hinc Virgilius:

Jam canit extremos effœtus vinitor antes.

ANTARII FUNES. *Vitr.* l. 10. 3. Qui in ſumma troclea trajiciuntur ad ducenda, & reducenda pondera.

ANTEFIXA, orum. Canales figulini, qui e tectis aquam pluviam effundunt. *Feſtus.*

ANTEMURALE. Munitio quælibet prætenta muris. *Antimuro*, *Parapetto*. Item adjectiones, fulturæque adnexæ parietibus, ut parum firmos ſuſtineant & corroborent. *Puntello*, *Contraforte*, *Sperone*, *Barbacane*, *Sorgozzone*. Anterides, & Eriſmata Græci appellant.

ANTEMURANUS, a, um. Quod muro prætenditur. Ammian. *Vallum antemuranum.*

ANTENNA. Pars ſcalæ cochlidis. Vide *Cochlea*.

ANTEPAGMENTA. Vitr. l. 4. 6. Barbarus exponit latera valvarum, redditque Italicè *L'erte delle porte*, vulgo *Stipiti*. Philander lapides exiſtimat, nexos ad oſtiorum latera, idemque fere cenſet, quod antas. Sed Vitruvius non de arrectariis ſolum eo utitur vocabulo, verum etiam de traſverſario, ſive limine ſuperiori ipſius oſtii, ut aptè notat Baldus. Præterea ipſa antarum ornamenta, & capita trabium, ab eodem Vitruvio dicuntur Antepagmenta. Feſtus antas interpretatur columnas, ſive pedamenta, quibus ſuſtinetur fabrica. Quod meo etiam ſuffragio probaverim, dummodo de iis columnis intelligatur,

gatur, quæ ſunt in fronte & aditu ædificii. Solent enim apud nos etiam columnæ præ januis attolli, præcipuè ſi feneſtrarum ſuperiorum podia ſunt ſuſtinenda.

ANTERIDES. *Vitr.* l. 6. cap. ult. Fulturæ majorum lapidum ad parietes muniendos, quorum ponderi renituntur. Vide *Antemurale*.

ANTICUM. Feſto eſt janua, quæ opponitur poſtico. Aliis eſt etiam pars templi exterior, quæ Græcis dicitur pronaum; piliſque, & columnis cum faſtigio ante januam interiorem attollitur. *Portico*.

ANTIQUUS ORDO. Aliis Tuſcanicus. Tuſcorum eſt inventum. Conſtructionis genus eſt ſimplex quidem ad ſpeciem, & prope ruſticanum; cæterùm omnium, quibus Architectura utitur, longè firmiſſimum; utpote quod ætates laceſſit, & cum æternitate decertat. Probatur maxime in ædificiis publicis, cujuſmodi ſunt portæ Civitatum, Carceres, arces, ærarium, pontes &c. in quibus firmitas & durabilitas potius, quam concinnitas expetitur. *Ordine Toſcano*, *Antico*.

ANTITHALAMUS. Vide *Thalamus*.

ANTOCHE. Latinè nexus duorum, ſibi invicem opitulantium. Notat præcipuè claves, ſeu laminas ferreas, quæ catenatos parietes mutuo nectunt firmantque.

APODYTERIUM. *Plin.* l. 5. Epiſt. 6. Locus, ubi balnea ingreſſuri veſtes deponebant. Vide *Balneæ*.

APOPHYGIS. Latinè effugium. Baldo eſt columnæ annulus, Philandro, & aliis conflexus contracturæ in ima, & ſumma parte ſcapi. Nimirum columnæ ſcapus gracileſcit utraque terminatione; ſenſimque deficit ab ima parte, & iterum modicè dilatatur in ſumma. Hæ terminationes, ſive conflexus contracturæ proximè tangunt inferiorem, & ſuperiorem annulum. *Calo*, *e riſalita della Colonna*. Vide *Hypotrachelium*.

APOTHECA. Rei cujuslibet conditorium, ſed plerumque de vino, aliiſque venalibus uſurpatur. Tria hæc, Apotheca, Officina, & Taberna, licèt indiſcriminatim acci-

cipi

Digitized by Google

cipi ſoleant, ſic tamen diſtinguuntur: Apotheca locus eſt, ubi venalia, ut dixi, reponuntur: Officina, ubi eadem conficiuntur; officina enim, quaſi opificina dicitur: Tabernas vocamus, ubi eadem publicè divenduntur. *Bottega*. Quoniam vero ejuſmodi tabernarum peramplus eſt numerus; &, ſola fere rerum venalium diverſitate diſcriminatæ, nihil habent ſtructuræ ſingularis, ut publica habent ædificia, idcirco eaſdem ſingillatim recenſendi laborem compendifecimus.

Apothesis. Confunditur a Vitruvio cum apophyge; diſtinguit illas in hoc Philander, ut apophygis ſit utraque terminatio, ſeu conflexus contracturæ in ſcapo columnæ; Apotheſis de ſuperiori ſolum conflexo dicatur. Congruit etymon: eſt enim apotheſis repoſitio, ideſt ejuſdem operis nova collocatio alio in loco. Si Baldum ſequeris opinantem Apophyges eſſe annulos, qui in ſumma imaque parte ſcapum excipiunt, Apotheſin dixeris ſuperiorem annulum.

Apparitio, onis. Præparatio rerum neceſſariarum ad opus moliendum. Idem quod apparatus. Utitur ea voce Vitruvius l. 2. 10. *De parietibus, & apparitione generatim materiæ eorum expoſui*. Notionem hanc hujus vocabuli, ut non pauca Vitruviana, Lexicarii etiam noviſſimi non advertunt.

Apparatus. Vide *Apparitio*.

Apsis. Implexum eſt vocabulum, & parum dilucidatum. A tangendo dicitur ex Græco, & exponitur paſſim pro curvatura rotæ, nempe pro ligno circulari, qua parte rota terram tangit. Inde ſumi aſſolet pro faſtigiata, extremaque templi parte, ubi Pſalmodiæ cantus certis horis diſtribuuntur. *Tribuna*. Et in hanc acceptionem paſſim ſumitur ab antiquis Scriptoribus Eccleſiaſticis: ex quibus ſunt, qui gradatæ apſidæ meminerunt, quoniam per gradus aſcendebatur ad ſepoſitam & editiorem illam templi partem, quam vulgo Presbyterium, aliqui Retrochorum nominant. Eadem pars templi a Scriptoribus

Digitized by Google

bus inferioris Latii dicitur etiam Concha, a ſimilitudine conchæ vaſis. Mihi Scriptorum veterum loca reputanti, Apſis non eſt ſingularis ulla, aut deſignata ſpecies curvaturæ in ædificiorum faſtigiis, ſed nomen genericum curvaturæ; & ad eundem modum exiſtimandum puto de vocabulis, arcus, camera, & fornix, quæ omnia ſignificant quod Italicè dicimus *Volta*, *ſeſto della volta*. Expreſſius poſtea & ſpeciatim addimus, apſis, arcus, fornix, camera, teſtudinata, lunata, doliaris, ad formam crucis, cunei, veli, hemicycli &c. Apſis ex Græco dicitur a luce. Solet etenim, quemadmodum omnes curvaturæ, propius & uberius lucem accipere, eamque reliquis ædificii partibus reflexam impertire.

AQUAGIUM. Quaſi aquæ agium. *Feſtus*. Ab agenda aqua dicitur, ut aquæductus a ducenda. Vide *Aquæductus*.

AQUARIUM. *Cato*. Locus, quo animalia potum aguntur. *Fontanile*. Item ex quo eliciuntur, vel derivantur aquæ ad uſus urbanos. Item cella in balneis, adnexa Calidario.

AQUÆDUCTUS. Deductio aquæ ad uſus publicos. Alicunde derivata, vel per canales ſubterraneos agitur, vel acta canalibus ſtructilibus, arcubus, piliſque ſubſtructis incumbit. Quæ ad privatos bibendi, vel irrigandi uſus ducitur, fictilibus tubis, vel plumbeis fiſtulis agitur. Hoc differre quidam putant Aquagium ab Aquæductu, quòd hic opus ſit arte elaboratum, illud alveus, ſeu canalis a natura ipſa adapertus, & quaſi ſulcatus, ut ipſa ſibi viam fecerit, aquarum copia, & redundantia. Admirabilis in primis apud Romanos Aquæductuum fabrica; ſeu per montium perforata viſcera, operoſis molitionibus, perampli canales mirè fornicati, directique protenderentur; ſeu marmoreis arcubus ſuperfluentes aquæ ad multa per agros milliaria, quaſi in triumphi ſpeciem, & pompam excurrerent. Claudianus potiſſimum Aquæductus ſingularem famam obtinuit, quem, a Cajo Cæſare

Digitized by Google

ſare inchoatum, Claudius perfecit. Is, teſte Plinio l. 36. 15., a quadrageſimo lapide ad eam excelſitatem ſublatus eſt, ut in omnes Urbis montes levaretur. In id opus erogatum ſextertium ter millies. Frontinus initio ſui operis ſcribit, Romam iis annos CCCCXLI. caruiſſe, cum ſatis haberet aquas ex Tiberi, puteis, vel fontibus haurire. Idem ſtatim enumerat aquas ævo ſuo in Urbem influentes, Appiam, ſcilicet, Martiam, Tepulam, Juliam, Alſietinam, Auguſtæ nomine etiam dictam, Claudiam, deductaſque ex vetere, & novo Aniene. Earum porro conceptoria, erogatoria, curſus modulum, & quo quæque tempore, item quo Cæſarum principatu ſit ducta, enucleatè diſtributèque demonſtrat. Quibus expoſitis, ſcitè, ſapienterque concludit, tot aquæductibus, mira magnificentia ad neceſſarios Urbis uſus comparatis, minimè comparandas eſſe Ægyptiarum Pyramidum moles, inertes ſcilicet, & otioſas.

Aquilegium. Aquæ collectio. Subterraneis in locis ad id præfodiuntur ſcrobes, caveæque concameratæ, ut, ſi forte çiſternæ, puteique deficiant, ad earum ſuplementum, & uſus domeſticos adhibeantur. *Conſerva*.

Ara, æ. Vel ab ardendo, vel ab arearum ſimilitudine, quas puras eſſe oportet, appellatur. Tria erant apud Veteres ſacrificiorum loca, Scrobiculus, quo inferis Diis, Ara, qua terreſtribus, Altare ſeu Focus, quo Cæleſtibus faciebant. Figura aræ erant quadrata, parum ab humo extantes: cæſpite gramineo tegebantur. Lex aras dedicandi a Georgio Fabricio recitatur. Alia vero Altaris & Aræ diviſio ſic a Feſto traditur, ut aræ Diis infimis, altaria Superis erecta fuerint. Sed Nicolaus Abramus in *Comment.* Milonianæ docet, altaria Diis, aras Heroibus dicari; adducitque teſtimonium Virgilii Ecolg. 5.

—— quattuor aras,
Ecce duas tibi, Daphni; duoque altaria Phœbo.

Mani-

Manifeſtum tamen eſt apud probatos Scriptores promiſcuè ſumi altaria, & aras. Amphiteatri pars erat ara, Jovi Latiali erecta. In Circo autem tres in ſuperiori parte editæ; Saturno, Jovi, & Marti dicatæ; locatæque ad Euripum, ſupra Obeliſcum. Totidem infra ad eundem Euripum, versùs carceres, Veneri, Lunæ, & Mercurio ſacræ. Soli autem dicatus erat pro ara Obeliſcus, vel Pyramis, quæ in medio ſurgebat. Quadrigæ circa ſeptem illas aras ſex ſpatia conficiebant. Ex præſcriptione Vitruvii aræ depreſſiùs, ſublimiùs ſimulacra ſunt locanda, ut Diis ex inſpectu ſuperiori major honos habeatur. Pro Deorum verò dignitate altiores, vel depreſſiores aræ ſunt extruendæ ex eodem Magiſtro l. 4. 8. Ara, res maximè omnium ſacra ſemper eſt habita. Quin pro ipſa probitate, & honeſtate, ſæpius accepta. Hinc Periclis memorabile reſponſum roganti amico, ut, veteris neceſſitudinis gratia, falſum in quodam judicio dejeraret; cui Pericles: *Multa amicis præſtari oportet, ſed uſque ad aras*. Conſilium ad aram. Vetus eſt dictum, quod admonet, ſeram eſſe conſultationem in ipſo negotio: a Miniſtris ſacris, qui omnia ad ſacrificium neceſſaria prius parabant: nam in ipſa ara quærere, quæ ex uſu eſſent rei ſacræ, impendio indignum, & indecorum putabant. Ad aras confugientibus impunitas lege concedebatur, ut advertimus voce *Aſylum*.

ARANEUS. Ex ejus magiſterio, & caſſibus, ſcitè & mirabiliter dimenſis, primi Geometræ dimenſiones ſuas didicerunt. Præterquamquod conſtructionem Horologii ſciotherici eadem beſtiola commonſtravit: ejuſdem enim fila lineas, centrum verò ſtylum oſtendit, ut notavit Tertullianus de *Pall.*, ubi vide notas Salmaſii.

ARCA. Septum aquarium, agger ligneus, vel lapideus, aquis oppoſitus ad earum impetum retinendum. *Vitr.* l. 5. ult. *Argine*, *Riparo*. Item machina quadrata, tignis vallíſque nexa, ad formam arcæ domeſticæ, quæ, prægrandibus oppleta ſaxis, dejicitur in ima aquarum;

& præſertim ad portuum ædificia, adjectis ſtructuris firmanda, deſervit. *Caſſe*. Item arcas in foro bellico dicimus tumulos depreſſiores, ad tuendas a præſidiariis foſſas murorum. *Caponiere*. De arca, carceris & cuſtodiæ genere, vide *Carcer*.

ARCHETYPUM. Prima cujuſvis ſtructuræ forma, quæ reliquis eſt exemplum. Præterea opera, quæ vetuſtè facta poſteri imitantur. *Originale*.

ARCHITECTON, onis. Architectus. Plaut. *Moſtell.* 3. 2.

ARCHITECTONICE, es. Architectura. *Quintil.* l. 2. ult.

ARCHITECTONICUS, a, um. Ad Architecturam ſpectans. *Vitr.* l. 1. 4.

ARCHITECTOR, aris. Fabricor. Cic. *de Fin.* 2.

ARCHITECTURA. Ars ædificandi. Ariſtoteles artem vocat, quæ omnes artes tamquam ſatellites complectitur. Cicero ſcientiam pluribus diſciplinis ornatam dixit. *Vitruvius* l. 1. 1. Architecturam conſtare docet fabrica, & ratiocinatione. Nimirum quoniam, & molitur opera Architectus, &, quæ molitur, doctrinæ comparatæ uſu demonſtrat. Proinde ſapienter concludit Magiſter, cui alterutrum deſit, Architectum vocari non poſſe.

ARCHITECTUS. Struendis ædificiis præpoſitus. Vitruvius l. 6. 11. tria probari ſtatuit in ædificiis, magnificentiam, ſtructuram, & diſpoſitionem. Quod ad magnificentiam attinet, laudatur Principum indoles prolixè nobilis: quod ad ſtructuram, fabrorum diligentia commendatur: quod ad diſpoſitionem, & ſymmetriam, in ea ſcilicet tota Architecti gloria vertitur. Ex ejuſdem Magiſtri præſcriptione l. 7. 5. non ſatis eſt quantumlibet doctrinæ fundum, exercitæque diù artis peritiam poſſidere Architectum, niſi eidem prudentia, & judicii vis exerta perpetuò aſſocietur. Neque enim vel exactiſſimæ operum molitiones laudari poterunt, niſi opportunè appoſitèque ſuis ſingula locis, non abſurdè & præpoſterè, aptentur. Secus obnoxius erit Architectus exprobationi Licinii Mathematici, qui deriſit Alibandæos, cum Trallibus in

Digitized by Google

in eorum civitate Palæſtram vidiſſet illuſtratam ſimulacris Cauſidicorum, & Forum ornatum ſtatuis diſco, pilaque ludentium. Idem Vitruvius l. 1. 1. per ſingulas fere diſciplinas excurrit, iiſque omnibus ſtatuit Architectum apprime inſtructum eſſe oportere.

ARCHIUM, aliis ARCHIVUM. Locus, ubi tabulæ, chartæque publicæ aſſervantur. Carthophylacium, Tabularium publicum, Tablinum. *Archivio*, *Segreteria*, *Cancelleria*.

ARCUS. Curvatura circularis, qua in ædificiis nihil frequentius.

ARCULUS. Parvus arcus. *Feſtus*.

ARCUATIM. Ad formam arcus. *Plin.* l. 29. 6.

ARCUATIO. Curvatura ad formam arcus. Item plurium arcuum conſtructio & ſeries. Hac acceptione Frontinus ſæpe utitur.

ARCUS TRIUMPHALES. Quadrata, vel ſemicirculari ſtructura erigebantur iis, qui externo bello victores in patriam remigrabant. Ornatu olim ſimplici, ſubinde vero gliſcente luxu, ſplendidius elaborati. Tribus plerumque portis diſtincti, quarum media capacior Victores excipiebat. Trophæis, ſtatuis, cælatis emblematis illuſtres Romæ viſuntur.

AREA. Locus ſub dio, vacuus, & perflatilis. *Piazza*. Si admodum latior extendatur in planitiem, dicitur campus. Item ubi milites obeunt exercitia militaria. *Piazza di arme*. Item ſolum in agris toſtum, ubi teruntur frumenta. *Ara*. Præcipuum in modum ampliora quædam ſpatia ante templa areas vocabant. Gellius l. 4. 5. *Area eſt ante Deorum ædes, quod in privatorum ædificiis veſtibulum vocatur. Inde Vulcani area*. De area in Campo Martio, ubi ad exercitationes militares erudiebantur tyrones Horat. l. 1. 9.

——— campus, & area,
Leneſque ſub noctem ſuſurri,
Compoſita repetantur hora.

Digitized by Google

Arena fossilis, vel foſſitia. Genus terræ, qua calx interitur, ad ſtruenda ædificia. Lectiſſima fere omnium gignitur Puteolis in Campania, inque omni Bajani ſinus ambitu. Incredibilem ejus ſoliditatem eſſe liquet, quoniam in aquas jacta lapideſcit, & præjactis in mare molibus ſummam præſtat firmitatem; utique ſi Cumanis cæmentis miſceatur, ut tradit Plinius l. 15. 13. Ejus ſtabilitatis cauſam, ut a fontibus aquæ ferventis, qui in ea regione crebreſcunt, accerſat, multus eſt Vitruvius l. 2. 6. Firmiſſimum omnino eſſe arenæ genus oportet, etiam quoniam arenæ univerſæ foſſitiæ apud Italos nomen fecit. *Pozzolana*. Ex præſcripto Vitruvii l. 2., ubi non eſt arena foſſitia, utendum eſt fluviatica, vel marina, quæ tamen lota primum fuerit. Arenam, ſi ſcrupoſa fuerit, & calculoſa, cribro arenario excernunt operæ manuariæ. Providendum ut calci miſcendæ ſit idonea, terramque commiſtam non habeat. Optimam ſtatuit Magiſter, quæ, manu confricata, ſtridorem fecerit. Arena pro theatro, vel theatri parte, ubi Gladiatores pugnabant, ſæpe legitur. Sveton. in Aug. *Parthorum obſides per arenam mediam ad ſpectaculum induxit*. Hinc Arenarii dicti Gladiatores. Arenam ſine calce ajebat Caligula eſſe lucubrationes Senecæ, diſſolutas ſcilicet, & ſine nervis, quemadmodum fluxa & fragilis eſſet ſtructura, cui arenæ plurimum, minimum, vel nihil calcis eſſet admiſtum.

Arenaceus, a, um. Quod fit ex arena, vel potius arena nimis, aut vitioſè permiſtum eſt; cujuſmodi eſt arena argillacea, vel topacea. *Plin.* l. 12. 7.

Arenariæ fodinæ, & ſine addito, Arenariæ. Ubi arena foſſilis eruitur. Cic. pro Cluen. *In arenarias quaſdam perductus occiditur*.

Arenarium. Idem. *Vitr.* l. 2. 4.

Arenatio. Actus inducendi parietibus, vel pavimentis arenatum, quod eſt arena calce miſta & temperata. *Vitr.* l. 7. 3.

Are-

Digitized by Google

Arenatum. Arena, juxta regulas artis, calce miſta. Vitr. l. 7. 3. *Tectoria fundata arenati ſoliditate*.

Arbola. Parva area. *Plinius*.

Areostylos. *Vitr.* l. 3. 3. Ordo columnarum, in quo libera ſunt interſtitia: quod bene ab aliis exponitur, rarius columnatum.

Argentum. Primatum obtinet inter metalla, poſt aurum. Annos quinque ante bellum Punicum primum ſignari Romæ cepit. Uſque adeo poſtea vulgatum eſt, ut ſolum ex metallis pro ipſa pecunia ponatur. Terentius: *Emunxi argento ſenes*.

Argilla. Cretoſæ genus terræ, qua Figuli ad vaſa conficienda, Architecti ad formandos modulos, Structores ad quædam opera, præſertim præparatoria, utuntur.

Argillaceus, a, um. Vide *Arenaceus*.

Argumentum. Egregiè artefactum ex opere cælato, præſertim ſi veterem aliquam fabulam, vel hiſtoriam referat. *Lavoro*. Cic.

Armamentarium. Licèt ab armis dicatur, non modo tegentia eadem & offendentia complectitur, ſed quidquid inſperati rerum eventus poſſunt ad defenſionem depoſcere. Neque verò ad pompam potius, quàm ad publicæ utilitatis ſtudium diſpertienda, & comparanda ſunt arma, ut de Ærario Romano, poſt corruptam Veterum diſciplinam, conqueruntur Scriptores eorum temporum. In iis porro conquirendis non artificum modo ratio habenda eſt, ut peritiſſimi eligantur, verùm etiam locorum, ex quibus ea præſtat accerſere. Perſpicuum nempe eſt non minus cudendis armis, quàm frugibus ferendis, alias præ aliis regiones inveniri aptiores. Notandum inſuper eſt, arma non dici ſolum de iis, quæ hoſtem lædunt, ſed ea etiam ſic appellari, quæ ad multarum artium opera conſtruenda ſunt neceſſaria. Arma nautica, arma ruſtica nuncupamus inſtrumentà nautarum propria, vel ruſticorum. Simili proinde modo Armamentarium non offendentia ſolum, atque tegentia, ſed

Digitized by Google

ſed aliarum etiam artium inſtrumenta complectitur. Audacter tamen Itali, & nimis latè uſurpant vocem *Armario* pro ligneo variarum rerum repoſitorio.

ARMARIUM. Non lignea ſolum ſcrinia, verum etiam loculamenta parietibus excavata, armaria dicuntur. Ea verò commodiora ſunt uſu, & magis expedita, utpote quæ cubiculorum ſpatia non imminuunt. Non ſatis habuere Veteres res pretio ſingulari æſtimandas armariis condere, eaque munire clavibus; etiam ſignaculis ad majorem cuſtodiam utebantur: ea antiquitus lignea, Spartanis inventoribus; quibus poſtea, teſte Plinio, anuli metallici ſignatorii ſucceſſerunt.

ARMARIOLUM. Parvum armarium, tam ligneum, quam ſtructile.

ARMILLÆ. *Vitruvius* l. 10. 6. Ferreos circulos in trabibus arrectariis & tranſverſariis exponit Philander. *Cerchielli*.

ARRECTARIUS, a, um. Aſſeres, vel trabes arrectariæ dicuntur, quæ rectæ ſunt; & opponuntur tranſverſariis. De utriſque non uno in loco agit Vitruvius.

ARTEMON. *Vitr.* l. 10. 5. Genus trochleæ in machina tractoria Polyſpaſto, alio nomine Epagon.

ARULA. Parva ara. *Apulejus*.

ARX. Spectata nominis origine, locus eſt aditu perdifficilis; ab arcendo nimirum dicitur. Idcirco faſtigia rupium aſperarum antiquitus arces appellabantur. Virg. Georg. 4.

——— *flerunt Rhodopejæ arces*,
Altaque Pangæa.

Addita poſtmodum ad tutius præſidium præruptis ipſis in locis, ex artis magiſterio, aliqua, ſed fere rudis munitio in jugorum ſummitate. *Rocche*. Latiùs demum extructæ, ſtabiles, fixæque, juxta regulas architecturæ militaris: locatæ verò in limitibus ad ſecuritatem itinerum, & tuendos regionum fines, ad Urbium cuſtodiam, ſive hoſtibus repellendis, ſive arcendis civicis ſeditionibus. *Fortezza*, *Caſtello*, *Cittadella*. Extructæ in eſtua-

Digitized by Google

eſtuariis. *Palanche*. Interdum civitas integra probè munita ad formam arcis. *Piazza*.

ASAROTUM. Structura ex teſtulis coloris varii, quibus pavimenta potiſſimum conſternuntur. Inventor perhibetur Xenodorus. *Muſaico*. Stat. Silv. 1. 3.

Gaudet humus, ſuperantque novis aſarota figuris.

ASCETERIUM. Ædificium piè, ſanctèque ſimul viventium, æquali victu, habituque, & certis quibuſdam regulis. *Monaſterio*.

ASSA, orum. Locus in balneis ad ſudandum ſolummodo deſtinatus. *Cic.* ad Quinct. Fr. l. 3. 1. Senecæ ſudaria appellantur. Vide *Laconicum*, & *Vaporarium*.

ASSER. Aſſeres vocat Vitruvius trabeculas, quæ tegulas in tectis ſuſtinent. Minores Italis *Aſſi*, grandiuſculi dicuntur *Panconi*. Promiſcuè haberi ſolent aſſes, & aſſeres. Utraque vox ab aſſidendo a Feſto trahitur, quoniam ſtructuris aſſident. Hoc tamen inter utramque vocem diſcrimen ſtatuitur: aſſes ſunt tabulæ ſectiles, aſſeres trabeculæ, ſeu tigilla. Sic igitur contignationis ſeriem concipias. Trabes aſſident utrique capiti parietis; aſſeres aſſident trabibus; aſſes, ideſt tabulæ, aſſident aſſeribus.

ASSERCULUS. Exiguus aſſer. *Colum.* 12. 50. Ejuſmodi aſſerculis, in quadratam figuram diſpoſitis, nectuntur tabulæ in ædium Laquearibus. *Regolo*.

ASSI LAPIDES. Idem quod ſoli lapides; nam aſſum Priſcis eſt etiam ſolum; hinc aſſi cantus erant, qui edebantur, nullis muſicis inſtrumentis aſſociatis; e diverſo aſſæ tibiæ erant, quibus reſonantibus Chorus ſilebat. Aſſi proinde lapides ſunt, quorum alii ſupra alios ſoli aggerantur, calce non intermiſta. Ex iis muri, ſeù potius aggeres & repagula, in vineis, & prædiis campeſtribus, ſumptui præſertim declinando, attolli ſolent, ad qualemcumque defenſionem, adverſus fures, & beſtias paſcuales. *Macera*.

ASSICULUS. Tabula exigua. *Colum.* 6. 19.

ASSIS.

Digitized by Google

Assis. Tabula ſectilis. Contabulationibus deſervit. Italis *Tavola*, neutiquam vero *Aſſe*; nam *Aſſe* eſt trabecula ſive tigillum, a Latinorum *Aſſer*, qui tignum eſt, aſſis vero tabula.

Assulæ. Non ſolùm lignea ſunt fragmenta, deciſa ab aſcia, vel ſecuri, a fabris materiariis, ſed etiam quæ ſculptores inter cælandum abſcindunt. *Vitruvius* 7. 6. *Scheggie*.

Astragalus, & Astragalum. *Vitr.* 4. 6. Ab oſſiculis, ad ſpinam dorſi ſeriatim nexis, quæ aſtragali dicuntur, appellationem ſortitur duplex Aſtragalum, quorum alterum in ſpira inferiorem trochilum premit, alterum plynthum ſuſtinet. *Tondini*. Locantur etiam in capitulis, & epiſtyliis columnarum, referuntque fœminarum nentium verticillos, quorum appellatione nominantur *Fuſajoli*. Aſtragalum Lesbium, cujus meminit Vitruvius l. 4. 6. exponitur dimidiatum aſtragalum. *Mezzo tondino*.

Asylum. Tutus, immuniſque perfugii locus. Civitates integras ab Hæbræis in aſyla excitatas docemur a ſacris Paginis. In Græcia Heraclidæ primi omnium feruntur aſyla ſtatuiſſe. Romulus in luco Urbi proximo aſylum deſignavit. Neſas erat inde quempiam abduci. Fame potius Græci reos de medio tollebant, vel, admoto igne, compellebant aſyla deſerere. Hinc Hermione apud Euripidem Andromachæ aram tenenti minatur: *Ignem tibi admovebo*.

Athenæum. Duplex potiſſimum erat Athenis locus, virorum doctrina præſtantium exercitationi attributus. Alter Athenæum, a Minerva, cui dicatum erat, nuncupatus. Illuc Poetæ, Oratores, Philoſophi, ad recitandum, declamandum, & philoſophandum confluebant; Lamprid. in Alex. Sever. *Ad Athenæum, audiendorum Græcorum, & Latinorum Rhetorum, vel Poetarum cauſa proceſſit*. Alter locus prope ipſas Athenas, nemoroſo in ambitu, umbroſoque, exædificatus, duplici

Digitized by Google

plici conſtabat gymnaſio, & duplici ambulatione. Superiorem ambulationem, quæ Lycæum dicta eſt, frequentabat cum ſuis Diſcipulis Ariſtoteles. Cic. Acad. 1. *Qui erant cum Ariſtotele, Peripatetici dicti ſunt, quia diſputabant ambulantes in Lycæo*. Inferior ambulatio Platonem, ejuſque diſciplinæ aſſeclas recipiebat; & ab Academo appellationem Academiæ habuit, ut Laertius tradit in vita Platonis.

ATLANTES. Statuæ ſunt viriles, quæ ædificiorum mutulos, & adjecta ſuſtinent, ut Atlas Cœlum ſuſtinuiſſe fingitur. Ornantur iis præcipuè frontes ædificiorum. Idem præſtant Telamones, ſtatuæ Perſicæ, & fœminæ Cariatydes, de quibus ſuo loco. *Statue di ſoſtegno*. Vitr. l.6.10.

ATRIOLUM. Parvum atrium. *Cicero*.

ATRIUM. Ex Græco dicitur poſitum ſub æthere. Ex quo diſcimus, atrium ſubdiale eſſe, & apertum in ædibus ſpatium. Exponitur primus in domum ingreſſus. Licèt atrium ſub dio dicatur, neceſſe tamen eſt, porticibus ſaltem alicubi, & ambulationibus, tectiſque ſtructuris aliis, fuiſſe præcinctum, vel ornatum. Nam Veteres pretioſiſſima quæque in atriis aſſervabant. Hinc ſervi Atrienſes dicti, qui non erant profectò admiſſionales, ſed ad pecuniam, & res magni pretii cuſtodiendas deſignati. Habemus etiam ex Catone, Priſcos in atrio, oſtio adaperto, cœnare conſueviſſe; additque Servius, culinam ibi fuiſſe locatam, atriumque dictum, quaſi atrum, propter fumi fuliginem: quod planè evincit, aliquo modo tectum fuiſſe atrium. Atrienſes Cuſtodes armis fuiſſe inſtructos ad atriorum, & ædium defenſionem, monemur a ſacris Paginis Lucæ 11. *Cum fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt ea, quæ poſſidet*. Ex quo inſuper innoteſcit, partem ſaltem aliquam tectam atrium habuiſſe; quam nimirum, pro tuto expeditoque armorum conditorio cuſtodes haberent. Hæc autem ad tuenda Scriptorum aliquot veterum loca, & acceptiones dicta accipias. Neque enim mihi eſt dubium,

Digitized by Google

ſtructura tecta interdum atria caruiſſe, quo prorſus modo apud nos, & præcincta ſunt frequenter porticibus, vel ædificiis atria, & ſæpius ab omni parte adaperta, muro ductili ſolùm circumdata, ut nihil differant a Corte, vel Cohorte, ſpatio apud Veteres ſubdiali. *Cortile.*

ATTICURGES. Nihil certi ſuper hac voce afferunt Interpretes. Aliqui baſis genus quoddam, vel ornamentum, alii columnam Atticam quadrilateram exponunt, cujuſmodi in ſummo Veſpaſiani Amphitheatro, ſpectantur. Accidit ſæpe, in nebula Vitruviana, nihil diſpicere eos etiam, qui, quemadmodum Argo, toti ſunt, ut cum Plauto loquar, oculei. Vide apud Barocium ſchema baſis, quam ipſe Atticurgin Vitruvianam putat; eamque Ordini Compoſito admodum aptam exiſtimat, & nonnihil etiam Jonio; minimè verò aliis Ordinibus congruere, tametſi promiſcuè in omnibus adhiberi ſoleat ab Architectis.

AUGUSTALE. Domus regia. *Quintilianus.*

AVIARIUM. Locus concluſus, ubi aves detinentur, præcipuè ad venandum. Primus apud Romanos aviaria inſtituit M. Lælius Strabo, equeſtris ordinis, de quo ita ſcribit Plinius l. 10. 50. *Ex eo cæpimus carcere animalia coercere, quibus natura Cœlum aſſignaverat.* Uccelliera. Non levi admiratione dignum eſt, quod de Romanis aviariis legitur apud Varronem. Neque enim ſolum admodum illa erant ampla, ut plura altilium millia omnis generis capere poſſent, turdos, merulas, coturnices, anſeres, turtures, pavones &c., ſed incredibili quotannis proventu heros ditabant; ut ſæpe accideret duplo majores redditus obtineri ex uno Ornithone, ſeu Aviario, quam ex latiſſimis prædiis. Excerpo pauca ex plurimis ex ipſo Varrone de R. R. *Ex pavonibus M. Aufidius Lurco ſupra ſexaginta millia nummûm dicitur capere.* Idem iterum: *Ex uno* (Aviario) *quinque millia ſcio veniſſe turdorum denariis ternis: ut ſexaginta millia ea pars villæ reddiderit; eo anno bis tantum, quan-*

quanti .n tuus fundus ducentûm jugerum Reate dedit .

AULA. Pars domus reliquis amplior. Propriè adaperta & ſubdialis, quapropter atrium etiam appellatur. Hodie laqueatæ ſunt aulæ; ibique famuli a pedibus degunt. *Sale*. Pro Regia uſurpat Lucanus l. 8.

——— *exeat aula*,
Qui vult eſſe pius.

AURICULA. Genus munitionis novitii inventi. Additamentum ad latera propugnaculi, ad formam auris humanæ, qùo adaugetur ſpatium tormentis, & libratoribus. *Orecchia*, *Orecchione*.

AURUM. Nobiliſſimum naturæ partum, quoniam in deteriores uſus, & avaritiæ pabulum, luxuriæ magiſtri detorſerunt, plurimi maledictis inceſſunt, quaſi ad perniciem vitæ repertum. Laudatiſſimum ejus uſum agnovit Rex Salomon, immenſa ejus metalli copia quæſita, comportataque in templum Hieroſolimytanum, ſupremo Numini, ſupra omnia mortalium opera; magnifice ſplendideque dicatum: ubi inter cætera, ut habemus Exod. 21. ab aureo Propitiatorio tegente Arcam geminæ Cherubinorum ſtatuæ aureæ ſuſtinebantur. E diverſo auri pretio ac nitore turpiter & ſacrilegè abuſus eſt Nabuchus Aſſyriæ Rex, qui, ut refertur Daniel. 3. aureum ſimulacrum ſexaginta cubitorum altitudine Numini commentitio apud Babylonem, pari impietate, atque ſtultitia, erexit. De auri inventore, modoque illud excoquendi, ſignandi, & ad uſus varios comparandi, vide Plinium l. 3. & Salmaſium in Solin. In pluribus Europæ provinciis proveniunt aurifodinæ, quibus parcimus: Americanas per ignotorum marium vaſtitatem inquirimus; quaſi plus ſapiant opes quæſitæ periculis.

AXIS. Pars illa eſt in machinis, circa quam aliquid volvitur, cum ipſa ſit immobilis, ut tignum in medio ergatæ, cui funis obvolvitur. Axes in volutis capitulorum habet etiam Vitruvius. Idem quod cardo. *Aſſe*, *Cardine*, *Polo*, *Stelo*.

Digitized by Google

Axis in Peritrochio. Machina tractoria ad modum tympani, quæ volutatione axis, per radios vecteſque, in rotæ peripheria ingentia robora ſublevat. *Sottoleva*.

B

Balauſtium. Propriè eſt flos mali Punici. Ad ejus floris effigiem, & imitamentum, excogitatum eſt ſcalptæ columellæ genus, quæ gemino conſtat balauſtio, decenter inverſo, & utroque pediculo ſimul adnexo. Septa quædam, & cancellata opera fieri ſolent ex iis, æquali ſpatio diſtributis; baſi etiam, & epiſtylio infra ſupraque defixis; adoptatiſque inſuper per certa intervalla puſillis pilis. Spectabile eſt maximè id opus in Xyſtis, in ambulationibus, in menianis, & intercolumniis. Nec vero eſt ad ſolam venuſtatem, verùm etiam ad ſecuritatem inambulantium, & ad prohibendum aliis aditum, accommodatum. Præcipuum hodie uſum habet in templis, ubi ea ſepta Aram maximam, & Sacella concludunt; commodius etiam de genu orantes excipiunt. *Balauſtro*.

Balneum. *Cicero*. Et

Balneæ, arum. Locus ubi aquæ frigidæ, tepidæ, & calidæ, ad lavandum aptantur. Earum uſus tum valetudinis recuperandæ gratia, tum viribus firmandis: frequenter etiam ſola jucunditatis cauſa ſumebantur. Sunt etiam qui inventas primùm balneas putent, ut quotidianas ſordes abſtergerent, mundumque retinerent corpus ab omni colluvie. Nam rarus erat apud Veteres uſus veſtium linearum; ideoque ſordes faciliùs, & majori copia corporibus inhærebant. Non privatæ ſolùm Romæ, ſed publicæ in ſingulis regionibus aderant balneæ. Hyemales aliæ, aliæ æſtivales; item planæ alicubi, alicubi penſi-

Digitized by Google

penſiles conſtructæ. Has ſuo inventas tempore memorat Seneca Epiſt. 90. Sed Plinius earum inventorem tradit Sergium Oratam, qui Gnei Pompeji, & Mithridatis Regis ævo floruit. Poſt ambulationem illarum erat plerumque uſus. Balnearum hora hyeme, nona erat, æſtate, octava. Eadem hora tabernæ vinariæ, & lupanaria aperiebantur; ex quo ſcortis venalibus nomen Nonariis adhæſit, quia ad nonam proſtabant. In uſu etiam erat apud delicatiores, edere in balneis; quod de Commodo Lampridius memorat. Idcirco Libarii, Botularii, Cruſtularii, & omnes popinarum Inſtitores circuibant balnea, ut ſcribit Seneca Epiſt. 56. Partes præcipuæ balnei Apodyterium, Frigidarium, Tepidarium, Calidarium, & ſudatio calida, ſive aſſa, ſive Laconium. Apodyterium locus erat, ubi loturi veſtes deponebant. Erat autem ea pars admodum ampla, & cuivis pervia; itaut ſæpius accideret, eorum, qui lavabantur, veſtes ſurripi. Ideo fures balneorum ſeveriùs puniebantur a legibus: adhibiti etiam Capſarii, qui diligenter cuſtodirent veſtes. Juven. Sat. 10.

Quem ſequitur cuſtos anguſtæ vernula capſæ.

Frigidarium locus erat ad eorum uſum, qui de Calidario, vel Tepidario egreſſi, aere frigido optabant uti, ut paſſim exponitur. Sed quoniam corporibus non dubiè incommodum cenſuerim tranſitum ab aquis calidis, vel tepidis, ad frigidiorem aerem, ideo conjicio, Frigidarium non fuiſſe locum ſubdialem, & vento perflatilem, ſed potius concluſum, ubi nullæ erant aquæ: nam nulla de aquis mentio apud Authores in Frigidario. Inambulabant autem ibi, vel ſeſſitabant, poſt lavationem calidæ, vel tepidæ. Eam ob cauſam facilius iis aſſentior, qui Frigidarium, & Apodyterium eandem partem balnei conſtituunt. Hoc vero de iis ſolùm balneis cenſuerim, ubi lavabat populus. Nam viros nobiles poſt lavationem diſcurrere in loco, ubi ſervorum turba veſtes aſſervabat, non admodum mihi probatur. Idcirco populi

Fri-

Digitized by Google

Frigidarium Apodyterium fuiſſe; Frigidarium verò Nobilium, ſeparatum arbitror extitiſſe locum. Sed quoniam non eſt dubitandum frigidæ etiam aquæ uſum fuiſſe in balneis, & ad id quidem piſcinas adhibitas, ideo vel diverſa loca fuiſſe exiſtimandum eſt Lavationem frigidam, & Frigidarium, vel duplex fuiſſe Frigidarium, aliud, quo lavarentur frigida, aliud, ubi poſt lavationem calidæ, vel tepidæ, in frigidiore loco, ſine aquis, degerent ad aerem captandum. Calidarium præcipua fuit pars balnei: erat autem cella cum labris, ad aquam calidam continendam diſpoſitis. Vitruvius Calidarium, Tepidarium, & Frigidarium, tria vaſa fuiſſe memorat, ita compoſita, ut ex Tepidario in Calidarium, quantum aquæ calidæ exiſſet, influeret; & ad eundem modum de Frigidario ad Tepidarium. Sudatio calida, eadem Aſſa dicta, quòd, ſine aquis, ſolo aere (nam Aſſum Priſcis ſolum erat) cella erat, ut dixi, ſine aqua, ubi calido, ſiccoque vapore incluſo, ſudorem provocabant. Hujuſmodi ſunt, quæ hodie hypocauſta dicimus, vulgò *Stufe*. Martial. l. 6.

Ritus ſi placeant tibi Laconum,
Contentus potes arido vapore,
Cruda Virgine, Martiaque mergi.

Ubi crudam Virginem, & Martiam aquam expone vapores, ex proximo aquæ æſtuario cellam vaporariam complentes; ad quam formam in pharmacopoliis herbæ ſtillantur, quæ incaleſcunt vaporibus ſublatis in earum vitrea receptacula a lebetibus aquæ ferventis. Nam ſi Martialis locus aliter exponatur, confunderet Poeta Laconicum cum Calidario. Non omittendus eſt alius in balneo locus, quem Alypterium, Latinè Unctuarium appellant. Ibi loti ungebantur, quod non ſolùm rei Gymnaſticæ fuit proprium, & Palæſtritarum, ſed reliquorum etiam ad tuendam ſcilicet valetudinem, vel ad delicias. Idcirco etiam non ſimplices ſæpe aquas, ſed medicatas adhibebant, præcipuè qui molliores erant. He-

Heliogabalum numquam in piſcinis ſe lavari paſſum, niſi illæ croco, aliiſque pretioſis unguentis fuiſſent infectæ, ſcribit Lampridius. Alia loca, quæ balneis inſervirent, hæc ferme erant: Hypocauſtum, fornax nempe ſuppoſita Calidario, in qua ſuccedebantur ignis, qui ne extingueretur, curabant ſervi balneares, a Papiniano Fornacatores dicti, qui pilis & glomis pice illitis eumdem excitabant. Stat. in Baln. Etruſ.

——— ignis inerrat

Ædibus, & tenuem volvunt hypocauſta vaporem.

Propnigeum, quaſi Præfurnium a Vitruvio vocatum; via quædam ante hypocauſtum. Aquarium, cella adnexa calidario, idem facilè quod Alveus, aquarum nempe receptaculum, ex aquæductibus invectarum. Vaſarium, ubi vaſa balneis neceſſaria ſervabantur. Labrum, balnei ora, vel limes, circa quem ſpatioſi erant margines, quos Vitruvius ſcholas vocat, ubi circumſpectantes degebant. Lavabant præcipuè Palæſtritæ, Præcones, Comoedi, Tragoedi; hi quidem, ut aquarum humore molliorem vocem, illi, ut validiora haberent corpora. Nihil ſolvebant pro balneis, qui ante decimumquartum annum lavabant: reliqui quadrante exhibito admittebantur. Antoninus Pius balneum populo ſine mercede conſtituit. Fœminæ, virique lavabant olim promiſcuè, nullo pudore nuditatis; idque a Romanis Græcos accepiſſe, queritur Plutarchus in M. Catone. Agrippa huic aditum licentiæ aperuit, cum primùm balnea publicè inſtituit. Hadrianus Imperator fruſtra vitioſam conſuetudinem tollere conatus eſt. Idem etiam non modo irrita opera tentarunt ſubſecuti Cæſares, ſed diu multumque a Chriſtianis Præſulibus fuit laborandum, ut publicum morbum ſeverior demum legum medicina ſuperaret. Cæterùm cum balneorum ſtructura in privatis etiam ædibus fuerit magnificentiſſima, ut liquet ex Seneca Epiſt. 86., ex Statio l. 1. Silv., & Martiali, ſplendidiſſimas profectò eſſe oportuit balneas publicas.

Pavi-

Digitized by Google

Pavimentum vitro exornatum, imbutumque ſuccis odoratis notat Lipſius ex Vopiſco. Perampla ſpecularia admittebant lucem: parietes etiam, & laquearia ornamentis variis inducta, tradit Caſſiodorus. Balneorum publicum uſum poſt Chriſti Domini tempora viguiſſe conſtat. Cum incremento Religionis, & pietatis Chriſtianæ, elanguit primùm, poſtea ſublata illa penitus eſt conſuetudo. Nam quæ alicubi ad corporum munditiem, vel valetudinem, celebrantur hodie balnea, & frequentiæ parum habent, & nihil officiunt honeſtati, præſertim ſi cum Veterum balneis conferantur. Ne aſſueta balneis corpora ægreſcerent, paulatim cæptum eſt pomis, aliiſque arborum fructibus uti largius; ut per ingeſtionem humidioris cibi adminiculum humidi balnearis penſaretur, ut obſervat Braccius in Opuſculo de Aquis Tiberinis. Poteſtas in balneas inducendi penes balneatores erat. Neceſſe tamen eſt, audaculos interdum eorum facultatem non expectaſſe, ut conſtet veritas adagio Ariſtophanis: *Ipſe mihi balneum parabo*. Quod iis congruit, qui ad convivium, ad theatrum, ad munus quodlibet, non expectant admitti a curatoribus, ſed ipſi locum occupant.

BALTHEUS. *Vitr*. l. 3. ult. a ſimilitudine balthei militaris, baltheus item dicitur ab Architectis faſcia in capitulis Jonicæ columnæ, quæ volutarum pulvillos terminat. Tertullianus de Spect. balthea vocat diviſiones ordinum in theatri ſedilibus, & graduum interſtitiis, quæ repagula quædam erant, quibus claudebantur ſimul, & diſtinguebantur iidem ordines. Vitruvius l. 5. 7. dictione Græca appellat diazomata, & l. 5. 3. Latino vocabulo præcinctiones. *Ricinti*, *Cordoni*.

BANAUSOS. Vitruvius tradit genus eſſe machinæ tractoriæ. Peloponneſiaci, ut notat Baldus, caminum Baunon dicebant, ad ignem ſufflare, Avin. Ex quo camini purgatorem, eoſque, qui ignem flatu excitando Mechanicam ſordidam exercent, Banauſos appellamus.

BA-

Digitized by Google

BAPTISTERIUM. Lavacrum, balneum, ſed fere domeſticum. *Bagno*, *Lavatojo*. In balneis publicis locus erat in piſcinæ formam lapide conſtratus, cum gradibus, & cellis ordinatim diſpoſitis, & ſeparatis, modeſtiæ cauſa; ſimulque ad liberiorem lavantium uſum. Lavacrum autem frigidæ erat aquæ. Baptiſterium apud nos eſt fons ſacer, lavacrum regenerationis, ubi Baptiſmi Sacramento ſuſcepto, in Chriſti Domini, divini Paſtoris, ovile primum inducimur. Ut plurimùm certa quædam eſt, ad id deſignata, pars Templi, cum apto ad ſacrum munus ornatu. Alicubi ſeparatum eſt a primaria Baſilica Sacellum, quale prope Ædem Lateranenſem Romæ viſitur, ubi Conſtantinum Magnum ſacris aquis fuiſſe ablutum eſt traditum. Licèt autem vetus conſuetudo collocandi Baptiſteria extra Eccleſiam non fuerit ſine myſterio, ad notandum ſcilicet, degentes extra Eccleſiam, ſacri Fontis inſperſione, vel immerſione, in eandem recipi, nihilominus poſt Clodoveum Francorum Regem, a S. Remigio in Eccleſia baptizatum, inunctumque oleo cælitus in ampulla delapſo, in uſu eſſe cæperunt Baptiſteria intra Eccleſiam, in primo ejuſdem aditu, ad ſiniſtram partem, ut habet Gregorius Turonenſis in vita S. Martini.

BARYCÆ. Et

BARYCEPHALÆ. Ædes latæ quidem, ſed humiles, propter raritatem columnarum, quæ illas ſuſtinent. *Vitr.* l. 3. 2.

BASILICA. Locus ad regiam pompam extructus, prope forum, ad judicia, & negotia peragenda. Porcia, & Julia apud Romanos olim celebres. De earum ſtructura agit Vitruvius l. 5. 1. Ad jus dicendum, omnemque exercitationem forenſem peramplæ Baſilicæ conſtitutæ. Senec. de Ira l. 3. 33. *Fremitu judiciorum Baſilicæ reſonant*. Regum etiam, ſummorumque Magiſtratuum domos, locum publici Conſilii, Urbanarum negotiationum diverſoria, hoc inſigniri nomine, ex Varrone, & aliis diſcimus. Hinc apud Plautum Subbaſiliani, qui

Digitized by Google

plurimùm in Baſilicis verſabantur. Satis conſtat, primœvæ Eccleſiæ Pontifices Baſilicarum hujuſmodi plures molitiones in Templa Regum Regi, & Cælitibus dicata, vertiſſe. Auſon. in Grat. Act. *Baſilicæ olim negotiis plenæ, nunc votis per tuam ſalutem ſuſceptis*. Non omnia tamen Templa indiſcriminatim Baſilicæ audiunt; ſed quæ ſplendore, dignitate, & magnificentia cæteris præſtant. *Palazzo Reale*, *Tempio*, *Curia*, *Baſilica*.

Basis. Pedamentum, ſuſtentaculum. Baſium columnarum formæ ſunt, Tuſcanica, Dorica, Jonica, Attica. De earum partibus agimus ſingillatim. *Baſe*, *Baſamento*.

Bases structiles. Non ſolido lapide, aut marmore cæſæ, ſed opere cæmentitio.

Bessales Laterculi. *Vitr.* l. 7. 4. Qui octo pollicum latitudinem habent. Budæus de Aſſ.

Bibliotheca. Locus ubi libri magno numero diſpoſiti aſſervantur. Ad Orientem Bibliothecas conſtrui præcipit Vitruvius; quoniam earum uſus lumine indiget; & libri ad eum proſpectum non putreſcunt. In Bibliothecis locari ſolitas Virorum doctrina illuſtrium effigies, ex auro, argento, vel ære, refert Plinius l. 35. 2., additque Alexandriæ, & Pergami Reges in Bibliothecis inſtituendis antiquitus certaſſe; Aſinium vero Pollionem eas primum oſtendiſſe Romanis, & ſic ingenia hominum rem publicam feciſſe. Gellius l. 9. 14. mentionem habet Bibliothecæ Tiburtinæ. De eadem ita ſcribit l. 19. 15. *Promit e Bibliotheca Tiburti, quæ tunc in Herculis templo ſatis commodè inſtructa libris erat, Ariſtotelis librum.* Ex quo diſce morem veterem Bibliothecas in templis aſſervandi.

Biclinium. Locus, ubi duo ſunt lecti, vel menſæ diſcubitoriæ. *Plautus*.

Bidens. Inſtrumentum foſſorium, duobus dentibus ferreis conſtans. Utuntur etiam ſtructores ad terram, & glareoſa loca, vel ſcrupoſa eruenda.

Bi-

Digitized by Google

BIFORIS, e. Quod duas fores habet, ut quadriforis, quod quatuor. *Virgilius*.

BIPEDÆ, arum. Tabulæ duorum pedum, quæ pavimentis inſterni ſolent. *Palladius*.

BIPENNIS. Vide *Securis*.

BITUMEN. Genus terræ uliginoſæ, & admodum tenacis. Limus eſſe creditur in Aſphalthite Judææ lacu ingenti copia concretus. In Syria etiam prope Sidonem oppidum naſcitur. Utrumque cretæ vel limi genus in denſitatem coire tradit Plinius l. 35. 15. Bitumine non modo ferruminatos Babyloniæ muros, ſed ſtatuas etiam antiquitus obduci ſolitas idem addocet *Plinius*.

BIVIUM. *Virgilius*. Quod duas vias habet. Locus, in quem duæ viæ conveniunt, ut Trivium, ubi tres, quadrivium, ubi quatuor.

BOLIS. Perpendiculum, ſed fere nauticum, quo exploratur altitudo. *Piombino*.

BOVILE. Boum ſtabulum.

BREPHOTROPHIUM. Vide *Curotrophium*.

BRONTEUM. In Theatro pars erat, vas æneum continens, in quod immiſſi calculi, ibique circumacti, tonitruum ſonitus referebant. Claudiana tonitrua appellat Feſtus, a Claudio Pulchro inventore.

BULE, & BULEUTERIUM. A conſilio ex Græco dicitur. Curiæ, & Senatorum locus. *Sala di Conſiglio*. Senatores Buleutæ appellati. Memorantur a Plinio l. 10. 48. Syracuſis etiam fuiſſe Buleuterium, teſtatur Cicero Verr. 4.

BULEUTICON. Locus in theatro, ubi ſenes ſpectabant. A conſilio, quo ſenes æſtimantur, ex Græco dictus. *Pollux*.

BUSTUM. Feſto locus eſt, ubi combuſti mortui ſepeliuntur.

Digitized by Google

C

CÆLATOR. *Quintilianus*. Inciſor.

CÆLAMEN. *Ovidius*, &

CÆLATURA. *Plinius*. Inciſio. *Intaglio.*

CÆLO, as. Incido.

CÆLUM. Scalprum inciſorium. *Scalpello*. Pro fornice accipitur a Vitruvio lib. 7. 3. *Cameris diſpoſitis, imum Cælum earum trulliſſetur*. Plinius etiam in re balneari Cælum vocat fornicem Laconici ſeu Vaporarii.

CÆMENTUM. Licèt a cædendo quaſi cædimentum dicatur, non proinde cæmenta ſunt lapides minores, & aſſulæ, exciſæ a majoribus lapidibus, ut traditur a Lexicariis. Nam prægrandes etiam lapides cæduntur in lapicidinis. Eſt itaque Cæmentum genus omne cæſi lapidis, ſive ſit ſiliceus, ſive tophaceus, teſtaceus, vel lateritius. Imo lapides ipſos, non ſolitarios, ſed arenato miſtos inſertoſque, pro cæmentis habeo. Et in hanc ſententiam expono verba Plinii l. 26. 22. *Pallidus lapis in cæmento rarò eſt utilis*: Ubi cæmentum non eſt ædificium, nempe domus aliqua, templum, aut quid ſimile, ut explicatum video a Vocabulariis; ſed ſunt lapides ad uſum ſtructuræ aggerati, cum miſtura arenæ, & calcis. Ea calcis & arenæ miſtura a Vitruvio materia, & arenatum dicitur, ut a nobis ſuo loco exponitur. Eandem nuperi Scriptores intritam, & mortarium appellant, verum parum diligenter, ut item a nobis propriis in locis eſt obſervatum. Obſervo, cæmenta priſcis etiam cæmentas dicta. *Ennius*: Labuntur ſaxa, cæmentæ cadunt. Author etiam hujus vocis Lucilius, & vetus Inſcriptio apud Philandrum in caput 6. l. 4. Vitruvii.

CÆSALIS. Lapis erat ſinalis, & Tiburtinus dicebatur, quoniam, ut conjicio, ex eo erat marmoris genere, quod in

Digitized by Google

in Agro Tiburtino cæditur. *Travertino*. Dolabell. de Limit. *Termine*.

Cæspes. Terra cum avulſis herbis. Repagula munitoria attolluntur ex terra cæſpititia, quæ vallis pectinatim defixis muri cæmentitii vices ſupplet. *Terrapieni*.

Calathus. Pars interior, & anima capituli Columnæ Corinthiæ, quam acanthi folia, & cauliculi, ad preſſuram Abaci molliter curvi, circumornant. A Calatho dicitur, ciſta viminea, cujus exhibet formam, & a qua traxit originem. Id quomodo admirandum in modum contigerit, accipe verbis Vitruvii l. 4. 1. *Virgo civis Corinthia, jam matura nuptiis, implicita morbo deceſſit. Poſt ſepulturam ejus, quibus ea viva poculis delectabatur, nutrix collecta & compoſita in Calatho, pertulit ad monumentum; & in ſummo collocavit; & ut ea permanerent diutius ſub divo, tegula texit. Is Calathus fortuito ſupra acanthi radicem fuerat collocatus. Interim pondere preſſa radix acanthi media folia, & cauliculos circa vernum tempus profudit; cujus cauliculi ſecundum calathi latera creſcentes, & ab angulis tegulæ ponderis neceſſitate expreſſi, flexuras in extremas partes volutarum facere ſunt coacti. Tunc Callimachus, qui propter elegantiam, & ſubtilitatem artis marmoreæ ab Athenienſibus Catatechnos fuerat nominatus, præteriens hoc monumentum, advertit eum calathum, & circa foliorum naſcentem teneritatem; delectatuſque genere, & formæ novitate, ad id exemplar, columnas apud Corinthios fecit*. Ex Vitruvii verbis habes Calathum migraſſe in animam capituli Corinthii, tegulam in Abacum, folia Acanthi in ornamentum, flexuras cauliculorum in volutas ejuſdem ordinis. *Anima del Capitello Corintio*.

Calcaria. Non minus dicitur de fodina calcis, quam de fornace, ubi eadem coquitur. *De calcaria in carbonariam*, a Tertulliano uſurpatum proloquium. Aptè dicitur, vel cum ab uno laborioſo munere ad aliud æque laborioſum fit tranſitus; vel cum a re propoſita

ad

ad aliud contrarium, vel diverſum digredimur.

Calcatorium. Locus, ubi calx coquitur. *Palladius*. Sunt tamen qui hunc locum Palladii exponunt de parte cellæ vinariæ; nimirum de lacu ſtructili, ubi calcantur racemi vitei; ut Calcatorium non a calce, ſed a calcando appelletur.

Calcarius, a, um. Fornax calcaria. *Plinius*.

Calcarius, ii. Qui præeſt fornaci, ubi calx coquitur. *Cato*.

Caldarium. Idem quod calidarium. Pars balnei, ubi aqua calida continetur. Vide *Balneum*. Non ſenes dumtaxat calida utebantur in balneis; quapropter ſenilia balnea vocari calida, legimus apud Platonem l. 6. de Leg. ſed eadem fovebantur præcipuè valetudinarii, & admodum defatigati. Hinc balnea Herculana memorantur ab Ariſtophane, & ab ejus Interprete impendio fervida exponuntur, quoniam iis refocillari conſuerit Hercules, vir diu graviterque laborioſus.

Caliculata, aliis calcata ædificia. Quæ calce ſunt incruſtata. Feſtus. *Stabiliti*.

Calix. Quid ſit in aquæductibus, ſic exponit Frontinus. *Calix eſt modulus æneus, qui rivo, vel caſtello induitur. Huic fiſtula applicatur. Longitudo ejus habere debet non minus duodecim digitos; lumen, ideſt, capacitatem, quanta imperata fuerit. Excogitatus videtur, quoniam rigor æris difficilior ad flexum, non temere poteſt laxari, vel coarctari*.

Callis. Via. A calcando, quoniam pedibus animalium calcatur, & teritur. Propriè minor eſt, & anguſtior via. Simili modo ſemita via eſt arctior, & quaſi viæ dimidium, a *ſemis*. Virg. l. 5.

Rara per anguſtos ducebat ſemita calles.

Callopes. Vectes, qui motum tribuunt organo axis in Peritrochio. Ariſtoteles in *Mechanicis*.

Calx. Lapidis cocti genus, quo, aqua & arena foſſili ſubacto: parietes integuntur. *Calce*, *Calcina*. Ex albo ſaxo

Digitized by Google

ſaxo vel ſilice excoquitur. Quæ conficitur ex duriore, ſtructuris eſt aptior, quæ ex leviori & fiſtuloſo, utilior eſt tectoriis inducendis. Cauſam, cur montani ſilices excocti ad fabricationem proficiant, reddit Magiſter l. 2. 5. quoniam fervore ignis diſſolutæ partes terreæ aptiores redduntur per patentia foramina ad liquorem, & arenam permiſtam excipiendam. Nam iidem licet contuſi in fruſtula, & arena aquaque miſti, longè minus ſolidum opus efficerent. Calx diu antequam ad uſum aptetur eſt maceranda, ut ſi pars aliqua minus fuerit cocta in fornace, diuturna maceratione ad parem tenorem redigatur. Accidit quippe, ſi recens ſumitur ad ſtructuram, ut crudos calculos puſtulaſque emittat, quibus diſſipari opus atque diſſolvi, minus certè ſolidum conſtrui, neceſſe eſt.

CAMBRA. Ædificii devexum, pars ſuperior arcuata, fornix. *Volta*. Vide *Apſis*. Perperam aliqui cameras confundunt cum laquearibus. Cameræ ſiquidem tectorio inducuntur, cui picturæ, & ornamenta ex vitro, gypſo, & frequentius ex muſivo opere ſuperaddi ſolebant. De univerſo hoc artificio multa congerit Salmaſius in Solin. & in Scriptores Iſtoriæ Auguſtæ. Vide *Lacunar*.

CAMBRATIO. Flexura ædificii in cameram. *Spartianus*.

CAMBRO, as. Ædifico arcuatim. Plin. l. 10. 33.

CAMERÆ CANNICIÆ. Occurrunt apud Palladium l. 1. 13. *Cameras in agreſtibus ædificiis ex ea materia melius erit formare, quæ facilè invenietur in Villa. Itaque aut tabulis faciemus, aut cannis*. Cannitias Cameras hinc appoſitè dixeris, non ſolido compactas cæmento, ſed cannis, ſtramentiſque fulturæ ſubſtratis, addito ſolum, ex leviori arena & calce, tectorio. *Volta di cannuccie*.

CAMINUS. Structura ad excitandum, ſervandumque ignem, & fumum appoſito gulæ ſpiramento excipiendum idonea. Uſus ad excoquenda obſonia, & artificum variorum curanda opera. *Camino*, *Fornace*.

CAMPANA. Metallicum tintinnabulum, quod excavatum ad for-

Digitized by Google

formam metæ, vel apprehenſum anſa ferrea, pulſatur manu; vel, ſi ponderoſius eſt, ciet ſonitum fune tracto. De his vide multa in Lexico militari. *Campana*.

CAMPANULÆ. Vide *Guttæ*.

CANALIS. In ædibus canales ſunt tubi lignei, cretacei, vel ex tenui attenuata lamina ferrea, Italis *Latta*, qui aquam pluviam e tectis excipiunt, redduntque appoſitis extra ſyphonibus. Uſus præcipuus ad colligendos imbres in ciſternis. *Canali*. Vide *Aquæductus*. Canales etiam dicuntur effoſſæ ſcrobes perpetuæ ad aquas e fluviis aliò derivandas. Hujus generis admodum inſigne opus eſt canalis ab Atane amne, *l'Aude*, ad Garumnam ductus, quo Galliam a mari mediterraneo ad Oceanum permeabilem fecit Ludovicus XIV. Galliarum Rex. *Canale*.

CANALICULI. In pilis, & columnis ſunt cavitates, vel ab imo ad ſummam partem porrectæ, vel partem aliquam, ac ſæpe dimidiam ſcapi obtinentes; parte alia, vel ſolida integraque, vel minus depreſsè excavata. *Scannellatura*.

CANALICULATIM. *Plin.* l. 9. 33. Ad modum canalis, vel per canalem.

CANALICULATUS, a, um. Factum ad canalis formam. Columna, vel pila canaliculata, idem quod ſtriata. *Plin.* lib. 27. 9. *Scannellato*.

CANCELLI. Repagula omnis generis, ex ligno, ferro, vel lapide. Fiunt rectis, obliquis, tranſverſiſque lineis. Uſus varius, in oſtiis, feneſtris, & ubicumque eos impediendi aditus neceſſitas, vel elegantia ſtructuræ poſtulat. *Cancelli*, *Steccati*. Non dicuntur a cancro, qui morbi genus eſt, ut, nulla ductus idonea conjectura, tradit Perottus, ſed ab aquatili molliter cruſtato, cujus chelas implexas, & aduncos forcipes imitatur. Cancellatæ fores, aliter reticulatæ, in prima domus janua præponebantur; ſed quoniam viſum in interiora tranſmittebant, ſolidas poſt aliquod intervallum retro adſtruebant. Qui has cuſtodiebant, Oſtiarii, qui illas, Cancellarii

Digitized by Google

cellarii vocabantur. Cancelli in Circo fores erant opere reticulato, quæ ſigno dato demittebantur, & laxabantur ad modum cataractæ.

CANNICIÆ CAMERÆ. Vide *Cameræ Canniciæ*.

CANOPUS. Vide *Nymphæum*.

CANTHERII. Propriè ſunt equi caſtrati. In ædibus ſunt trabes, ab utraque culminis parte ſeriatim diſpoſitæ uſque ad ſubgrundationem. *Cavalli*, *Saettoni*.

CAPITELLUM. Pars columnæ ſuperior, ornatior reliquis. *Plin.* l. 24. 19. *Capitello*.

CAPITULUM. Idem. *Plin.* l.36.23. Sed vide Hiſtorici lapſum in titulo *Epiſtylium*. Capituli partes, juxta varios Architecturæ ordines, reddimus ſingillatim propriis in locis.

CAPREOLI. Tigna, quæ in tectis Cantherios ſuſtinent. *Vitr.* l. 4. 2. Non dicuntur a Capreolis viteis, qui cincinni quidam ſunt, & complicati cavliculi, ut ſcribit Philander, quaſi cantherios ſic amplectantur, ut capreoli vites; ſed, ut optimè notat Baldus, a capreolis feris ſilveſtribus; ut enim hæ incurſant adverſis cornibus, & renituntur, ſic ea tigna Cantheriorum ponderibus obluctantur. *Paradoſſi*. Alia acceptione Capreoli ſunt excurſus quidam flexuoſi in Capitulis, & gentilitiorum ſtemmatum ſcutis, qui ſerpere videntur ad chartularum, vel tæniarum formam; & ſecundùm hanc notionem, non dicuntur a capreolis feris, ſed a viteis, & non una nomenclatura appellantur claviculæ, cavliculi, coliculi, cincinni, chartulæ, tæniæ: Italis *Capriuoli*, *Cavicoli*, *Cartelle*, *Cartocci*, *Viticci*, *Svolazzi*.

CAPRILE. Caprarum ſtabulum.

CAPULUS. Manubrium, anſa catenaria, catenæ caput, ubi ferrum eſt perforatum ad excipiendum cuneum, vel lingulam. *Manico*.

CAPUT. Ab humano capite, quæ prima & nobiliſſima pars eſt corporis, funis, catenæ, machinæ, & ſimilium ca-

put dicimus, ex quo eadem initium capiunt. In columnis capitulum potius dicitur.

CARBUNCULUS. Genus arenæ aptæ ad ſtructuras, quæ nimio ſolis ardore exuſta carbonis colorem induit. De ea agit Vitruvius l. 2. 6.

CARCER. Ubi flagitiorum comperti cuſtodiuntur. A coercendo dicitur. Ex quo carceres etiam appellamus in ſtadiis repagula & lineas, intra quas equi, mox ad curſum progreſſuri, coercentur. Hinc locutio popularis: A carcere, vel linea ad metam vel calcem; quod eſt ab exordio ad agendi finem. Primus apud Romanos Rex Ancus carceres inſtituit. Additi poſtea ad eam procurationem Triumviri capitales. Differt carcer ab ergaſtulo, quod in hoc mancipia ab heris, illic rei authoritate publica detinebantur. Differt etiam ab arca, ubi cuſtodiebantur ad ulterius examen educendi. *Cicero pro Milon. Abrepti in quæſtionem conjiciuntur in arcas, nequis cum illis colloqui poſſit.* Diſtat præterea a puteo, qui furti reis deſtinatum erat ſuplicium: *Plautus in Aulul. Coqui abſtulerunt: comprehendite, vincite, verberate, in puteum condite.* Aliud poſtremò erat Mala Manſio, memorata a Juriſconſultis, ubi ſontes extendebantur in tabula. Ulpianus. *Si vinctum ad Malam Manſionem extenſum ſequeſter ſolverit &c.*

CARCHESIUM. *Vitr.* l. 10. 5. Baldo eſt Machina tractoria, admodum ſimilis tollenoni. Exponunt alii inſtrumentum verſatile in machinis tractoriis, & præcipuè in Polyſpaſto. Barbarus foramina eſſe cenſet, in quæ tigna ad vertendum inſeruntur, & Italicè reddit *Parettoli*. Mihi potius ipſa ſunt tigna, quæ magis aſſimilant carcheſium, quod propriè eſt malus nauticus.

CARDO. Ferrum, circa quod fores volvuntur. *Cardine, Arpione.* Hinc rei cardinem vocamus, in quo potiſſimum negotium vertitur. Quemadmodum limites in Circi porticibus viæ erant inter ordines ſedilium, ſic cardines in theatris erant item viæ, quæ ſeparabant præcinctiones.

Digitized by Google

nes. Sed viæ in theatris multis verſuris cuneos interſecabant (a quibus verſuris viæ illæ Cardines dictæ) limites verò in Circo non faciebant verſuras, ſed perpetua rectaque ſerie excurrebant. Eam ob cauſam a cuneis theatri elabi & effugere prope aſſidentes, maximè verò qui moleſti erant, facilè poterant: in Circi ſedilibus non item. Hinc Ovidius, cum ſedem in ſubſelliis Circi Corinnæ proximam occupaſſet, huic a ſe diſcedere tentanti inquit:

Quo fruſtra refugis? cogit nos linea jungi.

CARIATYDES. Græci, Caria Peloponneſi urbe, expugnata, Matronas Cariatydes in captivitatem duxerunt. Architecti eorum temporum, ad victoriæ monumentum proferendum in poſteros, earum effigies marmoreas mutulis & coronis ſuſtinendis aptarunt, ut tradit Vitruvius initio operis. Idem præſtant ſtatuæ viriles Atlantes, Telamones, & ſtatuæ Perſicæ.

CASA. Ruſticana & vilior domus, ſtramentis herbaceis tecta. Tugurium. Vegetius Caſas etiam appellat militum tabernacula tumultuaria & rudia. *Ovidius.*

Sub Jove pars durat; pauci tentoria ponunt;
Sunt quibus e ramis frondea facta caſa eſt.

CASSIS. Munitio acceſſoria ad formam lunæ dimidiatæ. vocatur caſſis, quoniam, ut galea frontem militis, ſic illa tuetur frontem propugnaculi. *Mezzaluna.*

CASTANEA. Vide *Echinus.*

CASTELLUM. A caſtro fit caſtellum, ut a monſtro monſtellum, ex quo Plauti Moſtellaria, eliſa liquida. Parvum caſtrum. Deſunt in caſtellis propter minorem molem non pauca, quæ inveniuntur in caſtris. Licèt vulgo caſtella nominentur munitiones fixæ, probèque munitæ in urbibus, magis tamen propriè ſunt, quæ tuendis limitibus eriguntur ad viarum tranſitus; nec ſolùm cæmentis, ſed frequenter ſtructura tumultuaria, terraque congeſtitia muniuntur. *Forti, Fortini, Cordoni.* Item Caſtella appellantur conceptacula aquæ deductæ, & ad

Digitized by Google

uſus publicos deferendæ. *Vitruvius* l. 8. 7. *Caſtelli*.

CASTRUM. Munitio ampla & ſtabilis, cum foſſa, propugnaculis, militum præſidio, cæteroque apparatu bellico, ex regulis Architecturæ Polemicæ, ad diuturnam obſidionem ſuſtinendam, & civicas ſeditiones arcendas idonea. *Caſtello*, *Fortezza*, *Cittadella*.

CASULA. Parva Caſa. Domuncula. *Plin.* l. 35. 10. *Caſetta*, *Caſella*, *Caſellina*.

CATADROMUS. Caveas ab acceptione vulgarium Lexicorum, ubi exponitur decurſorium, ſtadium, ſive palæſtra equorum, *Cavallerizza*. Impoſuit iis Authoribus locus Svetonii in Neron. *Elephanto ſuperſedens per catadromum decurrit*. Ubi catadromus Brodæo, Turnebo, optimiſque Criticis eſt funis protentus, quo decurrere ſolent Funambuli. Neque enim mirum fuiſſet, hominem Elephanto inſidentem per equeſtre decurſorium ferri: præſertim cum conſtet Elephantos funambulos Romæ viſos, ut nos oſtendimus prolatis teſtimoniis in Lexic. Milit. tit. *Elephas*. Equum etiam cum ſeſſore funambulum habet Xiphilinus in Neron. Accedit ratio nominis, quod deſcenſionem ſonat; & poſtremò ejuſdem nominis genus machinæ, quæ in emporiis maritimis demittit onera, ſublevatque, & gruem decurſoriam a figura arreptitiæ illius avis appellant.

CATAGLYPHA. Opera ſcalpta depreſſis ſulcis, & imaginum excavatis lacunis. Opponuntur anaglyphis.

CATARACTA. Clathri penſiles, firmis & acuminatis tignis contexti, cum anulis ferreis, qui funibus & catenis ante Urbium portas continentur, iiſque laxatis cum impetu dejiciuntur, hærentque in præfoſſas ſcrobes defixis tignis. Uſus tectorii hujus munimenti, ut adapertis quoque foribus aditus hoſtibus deforis, receſſus ingreſſis intercludatur. *Raſtrello*, *ſaracineſca*. Bojardus (jocosè ſuſpicor) vocavit *Porta gataja*; quoniam ſimilis eſt reductili aſſiculo, qui apponi ſolet in parte infima domeſtici oſtioli, ad uſum felium. Sic autem ille l. 1. cant. 11.

Or

Digitized by Google

Or la porta gataja giù cadia,
E reſtò dentro il forte Re Agricane.

CATATONUS. Vide *Anatonus*.

CATENA. Vinculum ferreum, anſatum, adnexiſque anulis continuatum. Genus repaguli ad prohibendum præcipuè aditum in januas, vel ulteriores vias. Item lamina, & potius trabecula e ferro craſſior, ad fornices, muroſque continendos. *Catena*. Longiores demum trabes ligneæ, quæ opus colligant retinentque, catenæ a Vitruvio appellantur. *Tiranti*.

CATENATIO. *Vitr.* l. 2. 9. textura trabium aſſerumque ad opus firmandum. *Incatenatura*.

CATHETUS. Catheti exponuntur a Baroccio duæ perpendiculares lineæ, quæ invicem diſtantes tranſeunt per centrum oculi in volutis Capitulorum ordinis Jonici. *Cateti*.

CATOGÆUM. Latinè ſubterraneum ædificium, ſpecus ſubterranea, non extructa magnificè ad delicias, quales Cryptoporticus, ſed rudis, nullaque, vel minima arte excavata, ad deliteſcendum potius, quàm ad commodiuſculè inhabitandum idonea, cujuſmodi plures SS. Martyrum reſperſæ ſanguine, & ſepulcretis conſecratæ, Romæ viſuntur. *Catacombe*.

CAVÆDIUM. Cum atrio promiſcuè ſumi ſolet. Sed, ut ſcribit Barbarus, Cavædium propriè pars eſt in medio ædium vacua & patens, quò aqua decidit. Atrium notat potius ambulacra tecta, quæ, pilis vel columnis firmata, ſubdiale illud ſpatium ambiunt. Cava etiam Vitruvius vocat l. 3. 6. quæ alibi cavædia nominat; eaque diſtinguit in Tuſcanica, Corinthia, tetraſtyla, diſpluviata, & teſtudinata. Voces ipſæ exponunt quatuor ex commemoratis cavædiis. Corinthia nempe, & Tuſcanica ad Architecturam Corinthii, & Tuſcanici ordinis conformantur: teſtudinata tecta ſunt ad formam teſtudinis; tetraſtyla quatuor habent columnas, vel ordines columnarum. Diſpluviata verò nitidè exponit Baldus. Quædam

Digitized by Google

dam cavædia, cum tecta ſint, nullam aquam admittunt. Quædam admittunt quidem cadentes imbres, ſed exiguo ſpatio expoſita. Quædam cum ampliſſima ſint, & ex omni parte adaperta, totos admittunt imbres. Hæc undique compluta Vitruvius appellat diſpluviata. Cæterùm cum ex Varrone, & aliis conſtet, tam Cavædium, quam atrium, loca fuiſſe interdum ſubdialia, quandoque verò contecta, ſupereſt, ut eadem in ædibus Veterum a poſitura fere ſolum loci diſcrimen habuerint. *Corte*, *Cortile*, *Chioſtro*.

CAVATORES. Gemmarum Scalptores Cavatores dici ex veteri inſcriptione oſtendit Salmaſius in Vopiſco. Excavant enim pretioſos lapillos, in iiſque quoſdam quaſi ſulcos aperiunt. Ejuſmodi lapilli maximo in pretio haberi ſolent, præſertim ſi vetuſtatis beneficio commendentur. *Camei*.

CAVEA. Locus in ædibus Regiis, & Amphitheatro, cuſtodiendis feris accommodatum. *Serraglio*. Amphitheatrum ipſum caveam dicebant. Hinc diviſio caveæ in ſummam, mediam, & imam. In ima continebatur Orcheſtra, ubi Senatores; & Equeſtria, ubi Equites, arenæ ſcilicet propinquiores, ſpectabant. Media, & Summa plebem recipiebat; honoratior tamen Media locus. *Teatro*. Vide *Amphitheatrum*.

CAULICULI. Flexuræ in capitulis columnarum Corinthii, & Compoſiti ordinis. Sunt autem ex acanthi germinibus, & volutas informant ad abaci angulos. *Viticci*, *Cartocci*.

CAVUM. Vide *Cavædium*. Sed & cavi, vel cava, dicuntur foramina in muris adaperta ad varios uſus. *Liv.* l.24. *Murum ab imo ad ſummum crebris cubitalibus fere cavis aperuit*. Adde Horat. Epiſt. l. 1.

Macra cavum repetes arctum, quem macra ſubiſti.

Utuntur præterea ſæpe hac voce Varro, & Columella in tractatione rei ruſticæ & hortenſis. Solinus c.14. Cavamina etiam dixit: *In latebroſis rupium cavaminibus*.

CEL-

Digitized by Google

CELLA. Locus ubi quidpiam conditur ad cuſtodiam. Uſurpari ſolet cum additamento rei ſervatæ. Cella vinaria, *Cantina*; penuaria, vel promptuaria, *Diſpenſa*. Olearia, pomaria, lignaria &c. In templis cella pars erat ſacratior, vel ædicula ſeparata, dicata Diis; Cella Concordiæ. *Cicero*; Cella Jovis, Minervæ &c. Cella tetraſtyla, umbellata, in Baſilicis, Romæ præſertim, undique eſt abſciſſa; quatuor inſiſtit columnis, a fronte, a tergo, a lateribus adaperta, & in templi umbilico ut plurimùm attollitur. In ædibus etiam cellæ ſunt cubicula ad inhabitandum, verùm ſecretiores & intimæ. Hinc cellæ familiaricæ apud Vitruvium l. 6. 10., quas aptè Barbarus reddit, *ſtanze per la famiglia*. Et ſi ancillis poſitas addidiſſet, Magiſtri mentem aſſecutus eſſet: erant enim fœminis lanificia exercentibus addictæ. Planè nihil neceſſe eſt eas cellas exponere Patroclianas, naturæ nempe neceſſitati deſervientes, ut exponuntur a recèns edito Vocabulario.

CELLA SUPPOSITITIA. Legitur apud Vopiſcum in Carino. Salmaſius Tepidarium interpretatur in re balneari, quoniam hoc emiſſam a Frigidario aquam exciperet.

CELLÆ FAMILIARICÆ. Vide *Cella*.

CELLARIUM. Conditorium victualium omnis generis. *Ripoſtiglio*, *Conſerva*, *Diſpenſa*.

CELLULA. Parva cella. *Terentius*.

CEREÆ IMAGINES. Non ſolùm in re magica locum habent; ſed in prima privatarum ædium parte, & in atriis referebant Majores virtute præſtantes, ad teſtificandam generis nobilitatem. Eas porro, ut perdiu durarent, gypſo cretaque permiſta ſolidabant: quod inventum ad Lyſiſtratum Sicyonium refert Plinius.

CEROSTROTA ORNAMENTA. In hunc gryphum impingunt Interpretes Vitruviani, & fruſtra quæritant conjectorem. Planè non parum eſt Vitruvius in rerum nomenclatura caliginoſus; ut frequenter accidat nullo conatu deprehendi poſſe, quo pacto vocabula ad rerum applicationem

Digitized by Google

nem trahantur. Ita ſcribit de januis l. 4. 6. *Ipſaque fo- rium ornamenta non fiunt ceroſtrota, neque biſora, ſed valvata*. Barbarus legendum putat Chlatrata; nimirum quæ ligneis, vel ferreis regulis decuſſata, feneſtris apponi ſolent; quod ut faciant, fœminis præſertim, ac viris religioſis, modeſtia ſuadet. Baldus ſuſpicatur legendum cloſtrata, a clauſtro. Philander opinatur Ceroſtrota opus eſſe teſſellati emblematis. Arioli, veſtram fidem!

Cervi. Stipites furcillati ad formam cornuum, quibus cervorum frontes armantur. His depactis, terræque defixis, primi mortalium ſua tuguriola & caſas formabant, muniebantque. Ab his initiis, & ab ejuſmodi agreſti rudique origine ad hæc, quæ cernimus, magnifica ædificia progreſſam eſſe Architecturam prolixè tradit Vitruvius l. 2. 1. *Forconi*.

Calcographia. Ars inciſoria in laminis æreis. Nihil in marmore, & metallis Sculptura, nihil in telis, tabuliſque Pictura audet, quod hæc facultas affabre, & ad amuſſim in ære non referat. Viget illa hodie, plurimique ducitur; ſed ſuperiore ſæculo Inciſores æris ad ſummæ celebritatis gloriam prodiere. Metalli, quod excavant, ſoliditate, æquat Picturæ opera, quoad diuturnitatem, eadem ſuperat; longè tamen minus ætatem ferunt figuræ telis papiraceis redditæ, imbutæque atramentis impreſſoriis, & in torculari ſubactæ. Exquiruntur tamen avidè; ornatuque erudito & eleganti porticus, cubicula, diætas, & ambulationes illuſtrant. Neque enim humanos modò vultus & corpora, ſed proſpectus rerum varios, prælia, tempeſtates, claſſium certamina, ad hæc fabularum & hiſtoriarum eventus omnes exprimunt, & æmulantur ad vivum. Ejus artis inventum, perinde atque typographiæ, cujus eſt æmula & exornatrix, ad Germanos plerique referunt. *Bolino*.

Chalybs. Vide *Ferrum*.

Chartulæ. Vide *Capreoli*.

Chr-

CHELONIUM. Vitr. l. 10. 2. Baldus indicari putat vel anſulas ferreas, *Orecchie*, vel paleolas impactas ſummo machinæ capiti ad trochleam retinendam. *Taſſello*. Baroccius in Heron. de Machin. bell. cap. 14. exponit lignum, quod alia ligna conſtringit, retinetque; quemadmodum chelonium, quod propriè eſt tegumentum teſtudinis, teſtudinem ipſam operit.

CHORAGIUM. Non ſolùm eſt apparatus omnis, & inſtructio ſcenica, ut tradit Feſtus; juxta quam acceptionem apparatum in aliis rebus choragium translatè dicimus; verùm etiam, ut ſcribit Vitruvius l. 5. 9. locus erat in Theatro, ubi Choragi veſtes, & hujuſmodi multa aſſervabant. *Guardarobba*.

CHOROBATES. Regula ad explorandam altitudinem. *Vitr.* l. 8. 6.

CIMELIA, orum. Gemmæ plerumque anulares, ectypæ, & entypæ. *Camei*. Vide *Gemmæ*.

CINCINNI. Ornamenta, quæ anulatim & in ſpiram ſinuantur, cujuſmodi ſunt volutæ in Capitulis columnarum; aliter cavliculi, capreoli, *Viticci*. Propriè ſunt crines intorti.

CIPPUS. Truncus arboris in craſſiorem vallum formatus. Cippus in agris columella eſt lapidea, terminos definiens. *Termine*. In ſepulcris item columella cum ſcalpto ad memoriam titulo. Cippi demum, ſeu columellæ marmoreæ præ foribus domorum ad viarum exitus apponi ſolent, ad prohibendum aditum, trajectæ catenis ferreis, cum anulis item ferreis, in earum capita adactis.

CIRCINUS. Inſtrumentum Geometricum, quo circuli deſignantur. *Seſta*, *compaſſo*.

CIRCUMPLUVIUM. Locus, ubi ex omni parte aquæ affluunt. *Feſtus*.

CIRCUMMUNITIO. *Cæſar* l. 1. *Bell. Civ.* Munitio in gyrum.

CIRCUMPORTICATIO. *Pandectæ*. Structura porticus in gyrum.

Digitized by Google

CICUMSTRUO. In gyrum ædifico. *Plinius*.

CIRCUMVALLO. Vallis ideſt ſepto cancellato ædifico & munio: vel propugnacula in gyrum conſtruo. *Cicero*.

CIRCUS. Amplus ludis & ſpectaculis celebrandis locus. Præter Circum ſingulari appellatione Maximum, a Tarquinio Priſco erectum, novem alios adnumerat P. Victor. Ludi in his celebrati Circenſes dicti. Nam qui edebantur in Theatro Scenici, qui in Gymnaſio, vel Palæſtra Gymnici vocabantur. Poſt Amphitheatrum verò conditum gladiatores, naumachia, & venatores illuc translati; certamina equeſtria, & curſus equorum, Circus, præcipuè Maximus, retinuit. Fuit etiam Romæ Circus area orbicularis, muris conſepta, ubi pugiles exercebantur, eratque ſimul equorum decurſorium, ut habemus ex Livio l. 1. 35.

CISTERNA. Tribus modis aquæ ex uſu urbano, vel domeſtico comparantur. Primum ex aquæductibus, comportatis nimirum aquis ex lacubus, vel aliis fontium ſcatebris. Ea derivatio perennitatem quidem habet pacifico rerum ſtatu, verùm, præterquam quòd immanes ſumptus faciendi ſunt ad ſtructuram, ſive præjactis arcubus, & pontibus deſuper deducatur, ſive ſubterraneis canalibus, & effoſſis rupibus ſternatur iiſdem aditus, ingruentibus certè bellorum motibus, intercipi ab hoſtibus poſſunt, aut veneno corrumpi. Longè majore compendio parantur aquæ ſubſtructionibus ciſternarum, aquarum pluvialium receptaculis præmunitis ad eas detinendas & perpurgandas. Ejuſmodi collectiones imbrium, quemadmodum facilè ſunt parabiles; ita iiſdem parum fidendum ſuperventu hoſticæ obſidionis, quoniam deficere aſſolent, præſertim ſi diuturnior fuerit oppugnatio. Putei demum perpetuas habent aquas, eaſque guttatim manantes, immotaſque. Sed eorum ſcaturigines non ſunt obviæ, ac ſæpe ſtudioſè conquiſitæ foſſores decipiunt, occurſu terræ ſaxis aſperæ, & confragoſæ. Iidem a nimiis fervoribus exuſto terræ humore deficere etiam ſolent.

Digitized by Google

lent. Collecti in ciſternis imbres magis laudantur; maximè verò ſi ſcrobibus expurgatoriis diligenter proviſum fuerit, ut ab alluvione tectorum contractæ ſordes ſtrati ſilicei attritu detergantur. In univerſum in comparandis aquis habenda eſt ratio proſpectus, & ſalubrioris ventorum flatus: advertenda verò in primis eſt natura ſoli, locorumque opportunitas. Nam *Puteum juxta fluvium fodere* merito abiit in parœmiam, qua irridentur, qui inani opera laborem impendunt. Ciſternas moliendi normam præſcribit Plinius l. 16. c. 40., ubi docet eas *arenæ puræ & aſperæ quinque partibus, calcis quàm vehementiſſimæ duabus, conſtrui convenire, fragmentis ſilicis non excedentibus libras. Ita ferratis vectibus calcari ſolum, parieteſque ſimiliter. Utilius geminas eſſe, ut in priore vitia conſidant aquæ, atque per colum in proximam tranſeat pura aqua.*

CIVITAS. Hominum eſt ſocietas, quæ iiſdem legibus; munerum, honorumque conditione varia, amplo in loco, munitoque degit. Differt ab Urbe, quod hæc mœnia & ædificia, Civitas populum indicat. In condenda Civitate æs antiquitus adhibebatur, in augurium perpetuitatis. Jungebant etiam taurum & vaccam, fœcunditatis ſymbola. Tum Coloniæ ductor, præcinctus cinctu Gabino, aratro mœnia deſignabat. Vide de hoc ritu Varronem, & Servium. Magna Civitas, magna ſolitudo, vetus eſt Græcorum adagium. Uſus eſt in quidquid ſpatioſum eſt & amplum, ſed parum excultum & firmum. Impendio notandum eſt, apud Romanos Scriptores Civitatis nomine non ædificia ſolum clauſa mœnibus, ſed agrum ipſum, atque adeo regionem cum ſuis limitibus indicari. Ad hunc modum cum legis apud Cæſarem *Civitas Æduorum*, & ſimilia apud alios, earum regionum populos, & ſæpe provinciam integram deſignari intelligas.

CIVITATULA. Parva civitas. Senec. in *mort. Claud. Civitatulas vendere ſolebat*. Utitur etiam hac voce Apulejus.

Clathri ferrei, vel lignei. Repagulum craticulatum, feneſtris, vel januis oppoſitum. Tranſenna. *Ferrata*, *Geloſia*, *Raſtrello*, *Ingraticolata*.

Claudiana tonitrua. Vide *Bronteum*.

Claves. Vitruvio ſunt fibulæ, quibus capita trabium ad operis firmitatem alligantur. *Chiave*. Longè aliud ab his fibulis ſunt claves, quibus ad januas, arcas, & ſimilia obſignanda utimur. Earum uſum fuiſſe antiquiſſimum conſtat ex Homero, qui ita ſcribit *Odyſſ.*

Accepit autem clavem bene flexam manu forti,
Pulchram, æream, manubrium autem eboris inerat.

Ad quæ verba Euſtachius monet rude his verbis obſignaculi genus indicari: inventas autem poſtea claves Laconicas, & Caricas, quæ etiam poſtmodum ad firmiorem & elegantiorem formam redactæ cum ſcapo, & anulo, ſeu manubrio ferreo, duobus, vel pluribus dentibus diſtinctæ, quæ adducendo reducendoque peſſulum excutiunt, vel immittunt. Verùm de his, quæ minimùm ſunt noſtræ indaginis, vide plura apud Salmaſium in Solin.

Clavicula. Parva fibula. Vitr. l. 10. 17. *Chiavetta*. Sunt etiam claviculæ apud Architectos, quemadmodum etiam in vitibus, idem quod Capreoli. Vide *Capreoli*.

Claustellum, & Clostellum; nam Veteres Clauſtrum, & Cloſtrum dixerunt; parvum clauſtrum. *Petronius*.

Claustrum. Pro loco undique clauſo accipitur: item pro repagulo: clauſtra alpium, clauſtra portarum. *Chioſtro*, *Serraglio*.

Clausum, i. Locus undique clauſus. *Columella*.

Clavus. Notæ acceptionis pro ferro tereti, capitato, cuſpidatoque, quo quidpiam configitur. Clavi trabales, minutuli, longiores, minores, majoreſque. *Chiodo*, *Chiavello*. Item clavi umbellati, qui in capitibus bracteolas latiores habent, magis capitati, quaſi umbella tecti. Clavi muſcarii occurrunt apud Vitr. l. 7. 3. Ajunt Lexicarii eos etiam latiùs eſſe capitatos; ſic autem appellari,

Digitized by Google

pellari, quoniam ſimiles ſunt quibuſdam herbis, quarùm comam Plinius vocat muſcariam. Nimirum camino, quod ajunt, oleum. Nam mihi durius magis & peregrinum eſt, muſcarias dici comatas herbas, quam muſcarios, clavos capitatos. Amplius itaque eſt inveſtigandum in originatione clavi muſcarii.

Clavulus. Parvus clavus. *Varro*.

Clibanus. Vide *Furnus*.

Climacis, idos. Parva ſcala. *Vitr*. l. 10. 7.

Cloaca. Cavea, vel aquæductus ſubterraneus, quo ſordes influunt. *Cloaca*, *Chiavica*, *Fogna*. Romam ſubterraneam, propter cloacarum ſtructuram, magis admirabilem eſſe ſuperiore Roma, crede Plinio, de Cloacis ita ſcribenti l.36. 15. *Operum omnium dictu maximum, ſuffoſſis montibus, atque Urbe penſili, ſubterque navigata*. Ad gloriam Romanorum non magnificè minus quàm verè dictum eſt, ſingulari eos laude vias, aquæductus, & Cloacas curaſſe, quæ a Græcis neglecta, vel parum diligenter adminiſtrata. Primus Romæ Tarquinius Priſcus cloacas conſtituit, univerſarum Urbis ſordium receptaculum. Eas, licèt Galli captam Urbem incenderint, ad ſuam uſque ætatem perduraſſe, teſtatur Plinius. De ejus operis magnificentia ita ſcribit Caſſiodorus: *Romanæ Civitatis cloacæ tantum viſentibus ſtuporem conferunt, ut aliarum Civitatum poſſint miracula ſuperare*. Quot autem ſumptibus eædem ſteterint ex iiſdem poſtea inſtauratis ſic licet conjicere ex Dionyſio: *Neglectis aliquando cloacis, & non defluentibus, Cenſores in earum inſtaurationem mille talenta impendiſſe*. Ex quo etiam diſcimus, earum expurgandarum curationem fuiſſe olim penes Cenſores: Nam Auguſtus poſtea iiſdem expoliendis Curatores præfecit. Cloaca a colluendo, quaſi colluaca dicitur. Ex cloaca arcem facere, populari effato dixit Cicero rem humilem ſupra modum extollere.

Cloacula. Parva Cloaca. *Lampridius*.

Cno-

CNODACES, aliis Codaces. Ferreæ ſubſcudiculæ, & exterius rotundæ, in extremis ſcaporum, vel axium capitibus implumbatæ adactæque, per quas ſcapi, vel axes torni verſantur in armillis, ferreis nempe circulis, in trabibus arrectariis, vel tranſverſariis. *Philander* in Vitruv. *Spanghetta*.

COAGMENTUM. Quod eſt compoſitum & colligatum. Frequens apud Vitruvium vocabulum in ſtructuris.

COASSATIO. *Plinius*. Si ab aſſibus ſit, erit idem quod contabulatio; ſi ab aſſeribus, erit aſſerum, ſeu tigillorum diſpoſitio ſupra trabes, ad excipiendos aſſes, ſeu tabulas.

COASSO. *Vitr*. l. 7. 1. Tabulis necto, contabulo. *Intavolare*.

COCHLEA. Organum mechanicum vulgatiſſimum. Conſtat ſcapo, ſeu cylindro ſolido, in ſpiram ſtriato, quo erecto attollitur & demittitur prælum. *Chiocciola*, *Vite*, *Strettojo*. Item cochlea, vel cochlis ſcala eſt ſpiralis, per quam in gyrum aſcendimus. Duplex eſt ejus ſcalæ genus, & uſus. Aliæ ſtylum habent, quem antennam etiam dicimus, cui gradus adhærent: Aliæ ſtylo carent; ſed ipſi ſe per muralem ambitum ſuſtinent gradus. *Chiocciola*, *Lumaca*.

COCHLIDIUM. Scala Cochlis.

COENACULUM. Propriè locus, ubi cœnatur. Sed poſtquam in locis ſuperioribus frequentari cœnæ cæperunt, eadem ſuperiora loca cœnaculi nomine ſunt appellata. Hinc habitare in Cœnaculis, idem eſt ac ſuperiores ædes colere. Ex quo intelliges illud Ennii.

——— *Cœnacula maxima Cœli*,

Ideſt cæli partes editiores. *Appartamento alto*. Et quoniam editiores ædium partes ab acceſſu, ſtrepitu, & inſidiis tutiores ſunt, idcirco conventus ſacri apud Hæbræos & Chriſtifideles veteres in Cœnaculis celebrabantur, ut docemur non uno in loco a ſacris Paginis.

COENATIO. Cœnaculum. *Plin*. l. 2. Epiſt. 17.

Cœ-

Digitized by Google

COENOBIUM. A communi vita ducenda dicitur. Locus ubi in commune vivitur. Sed uſurpari fere ſolet de Religioſis viris. Idem quod Aſceterium. *Monaſterio*.

COHORS. Septus undique exponitur circa ædes, præſertim villicas, graminoſus, & ſubdialis locus, ubi gallinæ, & id genus altilia ſervari ſolent. Cohortis ſtruendæ ſymmetriam digerit Vitruvius l. 6. 9. ubi culinam cum torculari, aliiſque cellis deſignat, cum inſtructione univerſa, & apparatu villico. Ex quo colligitur amplius quiddam cohortem eſſe, quam deſignatum gallinis locum. *Corte*.

COLLICIÆ, aliis Colliquiæ. Tegulæ per quas aqua defluit. *Gronda*, *Grondaja*.

COLLUVIARIA, orum. In Vocabulario noviſſimè adaucto exponuntur canales, per quos ſordes ejectantur. Non improbaverim hanc acceptionem, cui vox ipſa favet. Sed eidem non convenit locus Vitruvii l. 8. 7. qui adducitur; *In ventre colluviaria ſunt facienda, per quæ ſpiritus relaxetur*. Ubi ſermo eſt de ſpiramentis ad excludendum aerem, ne canales diſrumpantur. Itaque colluviaria pro ſpiramentis habeas in aquæductibus. *Spiragli*, *Sfiatatoii*.

COLOSSICOTERA PONDERA. Vitruvius, de more atticiſſans, pondera prægravia ſic appellat l. 10. in Tit. & alibi.

COLOSSUS. Statua proceræ magnitudinis, cujuſmodi Rhodi videbatur, qui ſoli ſacer habitus inter ſeptem Urbis miracula cenſeri meruit. Erat autem, authore Feſto, centum & quinquaginta pedum altitudine. Architectum operis habuit Charetem, ut idem tradit Feſtus, non Colaſſem, ut mendosè ſcribit Perottus. Non Diis ſolùm, verùm etiam Cæſaribus poſitas legimus ſtatuas coloſſeas. De equeſtri, Domitiano erecta, Statius Silv. l. 1. 1.

Quæ ſuperimpoſito moles gemmata coloſſo
Stat Latium complexa forum?

Auguſtus pari altitudine, ac Jovis Olympici ſtatua erat, Nero

Digitized by Google

Nero centum & viginti pedum in ſuarum ædium veſtibulo effigiem metallicam collocavit, teſte Svetonio. Rhodio ſimulacro majorem Coloſſum parabat ſibi Galienus, antequam neci traderetur. Erecta Diis ſimulacra menſuram ſtatuæ virilis ter continebant. Paulo minora Heroibus attollebantur.. Ad horum imitationem viſebantur elata Cæſaribus.

Colosseus, a, um. *Sveton.* Et

Colossicus, a, um. *Plin.* Et

Colossus, a, um. *Lamprid.* Et

Colossicoteros. *Vitruvius.* Quod ſingulari magnitudine ad Coloſſi formam extructum eſt.

Columna. Suſtentaculum quadratum, vel cylindricum. Ejus partes ſunt baſis, ſcapus, ſive fuſtis, & capitulum, ſeu capitellum, minimè verò epiſtylium, quod Italis eſt *Architrave*; & parum diligenter confunditur a Lexicariis cum Capitulo, ut oſtendemus in Tit. *Epiſtylium*. Triplex recenſetur columnarum genus, teres, ſtriatum, & quadrangulum. Sunt qui nomine columnæ negant dici quadrangulares, quas potius pilas, vel ſtylobatas appellant. Sed & agnoſcunt Architecti columnas quadratas, & de iis prolixè agunt. Columnæ antiquitus ligneæ formabantur. Gliſcente paulatim ambitioſæ oſtentationis ſtudio, vel comperto emolumento majoris firmitatis, ſtructiles primùm, mox etiam marmoreæ fieri cæptæ. Antiqui ligneas, ne injuria temporum finderentur, chalybeis circulis, anuliſque, earum capita firmabant. Id poſtquam obſervarunt Architecti, etiam in lapideis ornatus ad ſumma capita varios commenti ſunt; atque inde capitulorum originem Scriptores advocant. Et quoniam, eleganter concinnato faſtigio, neglecta pars infima operi non congruebat, eidem inſuper ornamenta addiderunt, ex quo origo baſium in columnis. Columnarum, ut vocant, Ordines, quinque recenſentur; Tuſcanicus, ſive Antiquus, Doricus, Jonicus, Corinthius, & Compoſitus. Certas ſinguli ab Archetypis Veterum

præ-

Digitized by Google

præſcriptiones habent. Partium verò nomenclaturæ a Vitruvio quidem enucleatè ſunt traditæ, ſed a recentibus Architectis mirum in modum variè redduntur vernaculis vocibus; quod hic ſemel obſervaſſe operæ pretium fuerit. Columnas etiam Vitruvius vocat trabes arrectarias, quæ a tranſtris, ſive tranſverſariis erectæ, ſupremo capite columen, trabem nempe, quæ faſtigium fulcit, ſuſtinent. Ejuſmodi arrectaria appellatione Græcanica Monachi aptè nuncupantur, propterea quòd ſola columen ſuſtentant. *Monaco*.

COLUMNÆ HERCULIS. Ad extremos Europæ, Africæque fines Herculem fuiſſe progreſſum, ibique, expeditionum ſuarum monumentum, columnas geminas ſtatuiſſe, plurimis refertur Scriptorum teſtimoniis. Nam ab eodem Europam Africæ olim nexam, fuiſſe divulſam, & Oceano ad interiores terras aditum patefactum, monſtrum commenti eſt, ne apud Phæaces quidem fidem inventurum. Id tamen inter alios tradidere Diodorus Sic. l. 5. 2. Mela l. 1. 4. & Seneca Her. Fur. 2. 1.

Utrinque montes ſolvit, abrupto objice,
Et jam ruenti fecit Oceano viam.

Cujuſmodi autem fuerint Columnæ in freto Gaditano erectæ, alii aliò trahunt. Philoſtratus, & Strabo conſpici illas referunt in templo ejuſdem Inſulæ Gaditanæ, eidem Herculi ſacro. Idem Strabo ſcribit, ab aliis eſſe creditum, non eſſe aliud eas columnas, quàm promontoria ipſa, Calpen Hiſpanorum, & Afrorum Abylam, quæ rotundo quodam ambitu columnas intuentibus repræſentant. Refellunt plerique iſthæc, & veras ex lapide quadrato, eximiæque altitudinis columnas extuliſſe Herculem prodidere.

COLUMNÆ SPIRALES. Vide *Spira*.

COLUMBAR, & Columbarium. *Varro*: Loculamenta in periſterotrophiis, quæ ſingulis columbarum paribus ad nidificandum aptantur. Item ſimilia foramina in Aquæductibus, vel ad expirationem aeris, ut nonnullis eſt pla-

H citum,

citum, vel ad diviſionem aquæ ad uſus urbanos, vel domeſticos derivandæ. Eadem appellatione notatos fuiſſe olim loculos, in quos ollæ cinerariæ immittebantur, monent inſcriptiones veteres apud Fabrettum. Item columbaria ſunt cavitates in parietibus, ubi trabes & aſſeres cubant, quæ loculamenta Latini cubilia, Græci opas appellant, ut tradit Vitruvius l. 4. 2.

COLUMELLA. Vide *Cippus*.

COLUMNARIA, orum. Vitruvio ſunt ſpiramenta quædam in aquæductibus, quæ per certa intervalla conſtruuntur. Sic appellata putat Baldus, quoniam ad modum columnarum a ſolo attolluntur. Sunt qui irrepſiſſe mendum a Librariis ſuſpicantur, & columnarium pro columbario poſitum. Res mihi ſunt diverſæ, licèt ſub eodem genere ſpiramenti. Columbaria foramina ſunt in ipſa marmorea, vel lapidea fiſtula, extructa ad diviſionem aquæ derivandæ. *Spartimenti.* Columnaria vero ſtructuræ ſunt, ſeparatæ a fiſtula, ad expirationem aeris. *Spiragli*, *Sfiatatoii*.

COLUMNATIO. Structura per columnas. *Apulejus*.

COMITIUM. Locus, ubi populus ad ferenda ſuffragia cogitur. Ibi antiquitus diſceptabantur cauſæ, & ſuplicia de ſontibus ſumebantur. *Scruttinio*, *Squittino* Itali dicimus, eadem voce locum, & actionem notantes, propter inopiam verborum. Tria erant præcipua comitiorum genera: Curiata, quibus per curias populus ferebat ſuffragia: Centuriata, quibus per centurias: Tributa, quibus per tribus. Nam comitia, quæ a calando, veteri verbo, quod eſt vocare, Calata dicebantur, commune erat omnibus Comitiis nomen. Ubi legis Conſualia, Prætoria, Quæſtoria, Tribunitia, Ædilitia Comitia, ea ſcias deſignari, in quibus Conſules, Prætores, Quæſtores, Tribuni, Ædiles creabantur. Comitium, quaſi Coitium a coeundo dicitur.

COMMATA, um. Latinè inciſiones. Sic appellantur ab Ulpiano emiſſaria & incilia, quibus aquæ, præſertim fluminum, in campos emittuntur.

COM-

Commensus, us. Vitruvius Latinè quandoque ſic dicit menſurarum æqualitatem, quam ſæpius Grecè vocat ſymmetriam. *Proporzione*.

Commissura. In aquæductibus eſt nexus fiſtularum. Earum colligatio. *Vitr.* l. 8. 7. *Diſſolvet fiſtularum commiſſuras*.

Communitio. Munitio. *Vitr.* l. 10. 19.

Competentia. Symmetria. Gellius: *Secundùm debitam membrorum competentiam*.

Compita, orum. Bivia, trivia, vel plures in eandem partem coeuntes viæ. Dicuntur compita a petendo, quoniam a multis partibus petuntur.

Compluvium. Varro lib. 4. de L. L. *In Cavædio, ſi locus nullus relictus erat, ſub divo qui eſſet, dicebatur teſtudo; ſi relictus erat in medio, ut lucem caperet deorſum, qua impluebat, impluvium dictum; & ſurſum, qua confluebat, Compluvium*. Ex his verbis mihi eſt manifeſtum, parum diligenter Compluvium reddi *Gronda*, *Grondaja*, quæ Latinis eſt ſtillicidium; notatque anteriorem ſolùm, & extremam tecti partem, ex qua aqua defluit: Compluvium mihi eſt ex Varrone tota latitudo tecti, quæ aquam pluviam excipit: *Tetto*. Impluvium verò mihi eſt cavædium ipſum, quo aqua influit: *Corte*, *Cortile*.

Compositus ordo. Ex aliis Architecturæ ordinibus coaleſcit. Quidquid in illis firmitatem, ſpeciem, varietatem commendat, huc eſt translatum. Præcipuum tamen ſtudium in columnis. Cauliculos, & folia ordinis Corinthii in capitulis, volutas ex Jonicis capitulis adoptat. Iiſdem capitulis, & epiſtyliis nova & varia pro artificum ingenio & arbitrio, adjicit ornamenta. Id genus, Romanum etiam, & Italicum appellamus. *Ordine compoſto*.

Conamentum. Dicitur de iis, quæ opus fulciunt & corroborant. *Plin.* l. 19. 2. *Convolutum oſſeis, ligneiſque conamentis*.

Digitized by Google

CONCATENATIONES. Sunt apud Vitruvium nexus, fulturæque trabium, quæ renitendo opus detinent, & ſe mutuò adjuvant.

CONCAVUM. Vide *Convexum*.

CONCEPTELA, æ. Frontinus de Aquæductibus uſurpat hanc vocem, & piſcinam ſic appellari docet. Nihil differre videtur a conceptorio, ſeu conceptaculo, ideſt loco aquam colligente.

CONCHA. Genus fornicis, ſive dicatur a concha vaſe, ſive a concha, tegumento teſtaceo piſcium diverſi generis. Mihi planè eſt idem quod fornix doliaris. *Volta a botte.*

CONCILIABULUM. Non ſolùm eſt conventus miſcentium ſeditioſa conſilia, ſed locus ipſe, ubi fabri ſeditionum conveniunt; juxta quam notionem ſcribit Livius l. 34. *Ex oppidis conciliabuliſque conveniunt*; ubi conciliabulum exponi ſolet forum nundinarium. Ea mihi ſatis commoda eſt explicatio, propterea quòd faciliùs per nundinarum occaſionem, & frequentiam populi confluentis, conglobari ad ſimilia ſolent ſuſurrones, molitoreſque diſſenſionum. Conciliabulum pro cœtu accepit Tacitus Annal. 3. *Per conciliabula, & cœtus ſeditioſè diſſerebant.*

CONCISURA. Vide *Incilia*.

CONCLAVE. Interior & ſecretior in ædibus locus. *Gabinetto*. Dicitur a clavi, quoniam pars eſt ædium obſerata, & minimè pervia.

CONCLUSURA. *Vitr.* l. 6. 11. *Ad centrum reſpondentes concluſuræ*. Colligationem notat in opere ædificatorio.

CONCRATITIUS PARIES. *Ulpianus*. Idem Vitruvio Cratitius. Qui conſertis & craticulatis aſſeribus coagmentatur, ſtructura facili, ſed parum firma, præſertim adverſus ignem.

CONDITORIUM. Pro ſepulcro uſurpari ſolet. *Petronius*. *In conditorium proſequuta eſt defunctum*.

CONFABRICOR. Fabricor. *Gell.* l. 3. ult.

CONFLATURA. Actus conflandi metalla, quod inventum ad Cadmum Phœnicem retulit *Plinius* l. 7. 56. Flaturam æris

Digitized by Google

æris habet Vitruvius l. 2. 7. Aurum, argentum, ſtatuas metallicas conflare, eſt liquefacere. Sveton. in Aug. 52. *Argenteas ſtatuas conflavit omnes*. Fondere.

CONGESTITIUS, a, um. Locus, vel terra congeſtitia; opponitur ſolidæ. Uſurpatur præcipuè in aperiendis fundamentis, ubi ſolidum dicimus *Terra vergine*. Congeſtitium, *Lavorato*, *Moſſo*, *Ripieno*.

CONISTERIUM. *Vitruvius*. Locus in balneis a pulvere ex Græco dictus. Aſſervabatur nempe ibi pulvis, quo luctaturi poſt unctionem aſpergebantur, ut prenſiones firmæ eſſent, non lubricæ. Ad eum uſum ex variis regionibus afferebantur lectiſſimi pulveres; ſed optimi omnium habebantur Ægyptius, & Puteolanus.

CONSEPTUM. *Colum.* 1. 4. conſeptum ferarum, *Serraglio*. Conſeptum trabium, terræ cæſpititiæ &c. *Trincera*. Singulari modo conſeptum pertinet ad rem ſacram. Aream circa templum exponunt alii. Sunt qui templum ipſum eſſe ſtatuant: aliqui ſacellum ſine tecto. Meminerunt hac acceptione Solinus l. 1. Apulejus l. 11. Arnobius l. 6. quæ loca referuntur, & expenduntur a Salmaſio in *Solinum*.

CONSONANTIA. *Gellius*. Cum loci, propter diverſam ſtructuram, conſonantes alii ſint, alii reſonantes, & circumſonantes, vel ob aliquod impedimentum diſſonantes, commodè præcipit Vitruvius, ut pro theatris, (idem de templis dicas, ubi conciones audiuntur) expeditus & conſonans eligatur locus, per cujus intercapedinem liberè divagari poſſint voces, ut ad omnes perveniant, & auribus explicatè, & molliter accidant.

CONSTERNIUM. Sic nonnulli Latinè dicunt, quod Græci vocant Apodyterium, locum nempe, ubi loturi veſtes deponebant.

CONTIGNATIO. Propriè quod aſſeribus, tignis, vel trabibus ſtratum eſt, aut contextum. Sumitur tamen etiam pro ſtrato, & pavimento cæmentitio. *Palco*, *Pavimento*, *Piano*, *Solajo*. Nec proinde Latinis quæcumque

con-

Digitized by Google

contignatio eſt ſolarium, quod, a Sole dictum, indicat ſtratum pavimenti ad apricandum accommodatum. *Battuto*, *Terrazzo*. Differt contignatio a trabeatione, ut tignum a trabe. Tignum omne lignorum genus, ædificiis idoneum, comprehendit; trabs, ut habet Feſtus, ſunt duo ligna compacta. Quare trabeatio propriè ad tectum ſpectat; contignatio ad ea, quæ ſunt ſub tecto. Uſu tamen iſta confundi ſolent. Quomodo verò contignationes fornicatæ non aſſeribus ſolùm, ſed etiam tomicibus ex ſparto Hiſpanico, tunſis arundinibus, & permiſta calce ſint concinnandæ, diligenter digerit Vitruvius l. 7. 3.

Convexus, a, um. Quod in arcum eſt flexum. Pars enim interior concavum, exterior convexum dicitur.

Coquina, ubi coquuntur obſonia. *Nonius*. Vide *Culina*.

Coriceum. *Vitr.* l. 4. 11. Locus in Palæſtra, ubi exercebantur puellæ, a quibus ex Græco dicitur.

Corinthius ordo. Omnium elegantiſſimus, & venuſtiſſimus; ſed impensè gracilis, fluxuſque, præcipuè ſi comparetur Tuſcanicæ firmitati. Appellatio a Corintho, non tam quòd inibi ſit inventus; ſed ab ejuſdem urbis mollitudine & deliciis in ædificiorum ſtructuris, quas irridens Diogenes dixit mordaci jocoſoque cavillo: *Quinam ſunt hæc mœnia incolentes mulieres?* neglecta vitioſa ſyntaxi, ut acerbiùs dicterium torqueret. *Ordine Corintio*.

Corium. Voce translatitia a coriis animalium indicatur quod operi ſuperinducitur, præſertim in ſtructuris. Vitruvius l. 2. 3. pro tectorio parietum, ſive albario poſuit. *Incroſtatura*, *Intonicatura*, *Smaltatura*.

Cornix. Anulus ferreus, quo fores pulſantur, & attrahuntur. A ſimilitudine colli cornicis, quod eſt flexile. *Euſtathius*.

Cornuta opera. Præmunitiones ſunt, quæ, ut ſcribit Matthias Dogen de Architect. milit. l. 1. 15. *Conſtant antrorſum una cortina, & duobus propugnaculis dimidiatis,*

diatis, *dextrorſum verò*, *ſiniſtrorſumque duobus magnis lateribus*, *jactum tormenti in directum æquantibus*. Opera a corno.

CORONA, & CORONIS, idos. Coronamentum. Ornatior projectura in ſummitate ædificii. *Cornice*. Item in epiſtyliis, januis, aliiſque plurimis ſtructuræ partibus, Corona eſt, quod vel ſupra zophorum protenditur, vel tympanum ambit; ſive ſimplicibus conſtet ſecturis; ſive denticulis, aſtragalis, mutulis, floribus, ut aſſolet, exornetur. Cavendum eſt ne in domorum cubiculis coronæ ſint admodum ponderoſæ; nam graviores facilè muros deducunt. Idcirco Vitruvius l. 7. 3. præcipit, ne in iis gypſum admiſceatur, ſed perducantur excreto marmore. Idem diſtinguit duplex genus coronarum: puræ ſunt aliæ, aliæ cælatæ: in cubilibus, ubi ignis & lucernæ ſunt in uſu, puræ locari debent, ut abſtergi faciliùs poſſint; ubi verò nec fumus, nec fuligo nocere poteſt, cujuſmodi ſunt æſtiva, cælatæ ſunt admittendæ.

CORONATA OPERA. Prætenturæ munitoriæ genus. *Conſtant*, ut ſcribit Matthias Dogen de Architect. milit. l. 1. 16. *duobus propugnaculis dimidiatis*, *ad minimum inter duas cortinas medio recepto*; *urbique duobus lateribus*, *teli jactum æquantibus*; *ut cornutum*, *copulantur*. Opera coronata.

CORSA. Antepagmenti faſciam exponunt Philander & Barbarus apud Vitruvium. Prima Corſa, quæ lumini eſt propior; ſecunda, & tertia Corſa in januis, ſicut prima, ſecunda, & tertia faſcia in epiſtyliis. Corſam dici a voce Græcanica, quæ tempus, humani capitis partem, vel ab alia dictione item Græca, quæ ſtipitem vel truncum notat, author eſt Baldus. Et aptè quidem utrumque: nam antepagmenta, ubi ſunt corſæ, & ſtipites quidam ſunt, truncique oſtiorum, & januarum quaſi tempora videntur eſſe. Tempora autem de oſtiis dici ſatis commodum eſt, quemadmodum frontem, & ſupercilium, januarum partes alias appellamus. *Faſcia*.

COR-

CORTINA. Ad illud Virgilii in Ætna.

——— *magni cortina theatri*,

Sunt qui cortinam exponunt velum, ex quo Hiſtriones egrediebantur. Commodiùs Scaliger, aliique accipiunt pro theatri parte convexa & ſinuoſa. Adjuvat eam explicationem locus Ennii apud Varronem, ubi cortinam vocat cæli hemiſphærium. Cortina autem id genus fornicati operis dicitur ab ejuſdem appellationis vaſe ruſtico, alioque ejuſdem nominis rotundæ figuræ vaſe, quo utuntur infectores ad pigmenta excoquenda. Item cortinam appellamus in re munitoria murum extenſum inter duo propugnacula, cum interjecto torulo, ſive faſcia, additiſque interdum pinnis; interdum verò iis nudatis; quam arcis partem magis Latinè Loricam nuncupamus. *Cortina*.

CRASSITUDO. Columnarum, parietum, & ſimilium latitudinem, ſpatium, ambitum, Vitruvius craſſitudinem perpetuò vocat. Cicero Verr. 6. amplitudinem appellat: *Simulacrum modica amplitudine*. Quæ vox frequentius pro claritudine & præſtantia uſurpatur. *Groſſezza*, *il Vivo*.

CRATICULA. *Cato*. Rara quædam lignorum, viminum, vel ferri connexio. Hinc opus craticulatum, & magis Latinè cratitium appellamus.

CRATITII PARIETES. Vide *Parietes Cratitii*.

CREPIDO. Oram terræ, quæ aquis alluitur, acumen ſaxi vel montis, extremam, editioremque viæ partem, & alia hujuſmodi crepidines nuncupamus. In ædificiis verò apud Vitruvium non ſunt, ut aptè monet Baldus contra Philandrum, certa quædam in januis, vel in quibuſcumque ſtructuris membra, quæ eminent; ſed omnia ſunt ædificiorum membra, dummodo extent & emineant: imo, ut caſtigatius loquar, ipſæ eminentiæ, ſive projecturæ quarumcumque partium, crepidines vocantur. *Aggetti*, *Sporti*.

CRETA. Suo non caret in ſtructuris uſu hoc terræ genus. Licet

Licèt viridis etiam, nigræque cretæ Vitruvius, & Plinius meminerint, plerumque tamen, & magis propriè alba creta eſt. Hinc *creta notare* opponitur *notare carbone*. Albus certè color ad boni fauſtique naturam, ater ad mali ſiniſtrique pertinet. *Horatius*. *Creſſa ne careat pulchra dies nota*. In ſuffragiis etiam ferendis, & in ſortitione calculus albus expetitur. Adde illud Juvenalis,

——— *gallinæ filius albæ*,

Quod dicitur de feliciter natis; & illud ejuſdem Horatii:

Siſennas, Barros ut equis præcurreret albis.

Item illud ex Plauto *Aſin.*

Si huic occaſioni ſe ſe ſubterduxerit,
Numquam, ædepol, albis quadrigis indipiſcet poſtea.

Poſtremò non aliam ob cauſam equis albis victores triumphabant in Capitolio, quàm quoniam eum colorem lætum, auſpicatum, fortunatumque ducerent. Eam prærogativam colori albo merito proinde olim Pythagoras tradidit.

CRIBRUM. Inſtrumentum ex ſuillis ferme pellibus, crebris foraminibus perterebratum, ligneoque circulo obductum. Plurimis inſervit artibus. Cæmentarii ad excernendam arenam foſſilem utuntur. Cribro aquam haurire, vel ferre, eos dicimus, qui operam ludunt. Sumptus eſt ſermo vulgarius a fabula Danaidum, quæ apud Inferos pertuſum in dolium aquam infundere, ſuplicii genus habent. Tutiam tamen Veſtalem Virginem cribro aquam detuliſſe, Plinius, aliique tradidere. Sed ea hiſtoria vanior mihi, & mendacior eſt Danaidum fabula. Simili pœna apud Inferos affectum Claudium Cæſarem, nempe ut talis luderet fritillo perforato, author eſt Seneca, ſeu quicumque alius opuſculum de Morte Claudii ediderit. *Crivello*.

CRUSTA. Vide *Emblema*.

CRUSTARIUS. *Plinius*. Qui cruſtas ex argento, vel auro vendit, aut conficit. Item qui parietes incruſtat, inducitque tectorium.

Digitized by Google

CRYPTA. Caverna ſubterranea. Inveniuntur paſſim ejuſmodi cavitates productæ per intima montium viſcera. Sed & elaborari ſolent etiam arte, præcipuè ad vini conditorium per æſtivos calores. Eandem formam referunt canales aquæductuum excavati, & fornicato opere in effoſſis rupibus concamerati. Sepulcra etiam ſubterranea cryptas vocant. Non ſemel ea SS. Martyrum ſepulcra Prudentius ſic appellat. Quin & eodem nomine eorumdem frequentes ſtationes ſubterraneas indicamus. *Grotta*, *Catacombe*. Cryptas porro cæcas recens militia vocat opus teſtudinatum, ſuffoſſumque ad latera propugnaculorum, ut clam detineant præſidiarios ad ſubitam eruptionem. *Caſa matta*, corrupto vocabulo a Latinorum *Caſa armata*.

CRYPTOPORTICUS. Porticus ſubterranea, ſive undique conſepta, ſive feneſtrata. Ea ædificia Romani pro ambulacris habebant, iiſque utebantur refrigerandi corporis gratia. Erant etenim ex marmore magnificè ſtructæ; nec ad deliteſcendum, ſed ad delicias erectæ. Crebra quidem ea apud Romanos habitacula ad uſum concluſæ ambulationis. Uſus tamen erat præcipuè, cum imbres, venti, aeriſque iniquitas & inclementia copiam liberioris cæli non faceret. Aeris quippe rationem præcipuam meritò habebant; nec putabant negligendum Celſi monitum, præcipientis ſubdiales ambulationes apertaſque, & libero exercitas aere, præſtare iis, quæ in porticibus, maximè verò ſubterraneis, fierent.

CRYSTALLUS. Vide *Vitrum*.

CUBICULUM. Licèt dicatur a cubando, reliquas tamen ædium etiam partes, niſi ſingularem nomenclaturam habeant, cubicula appellamus.

CUBILE. Apud Vitruvium l. 2. 8. pars eſt illa ſtructuræ, ubi lapides ſedent, & quaſi cubant. Item foramina in parietibus, ubi figuntur capita trabium, quæ ab eodem Vitruvio, & aliis cubilia, & columbaria appellantur.

CULCITA. In Architectura idem eſt apud Varronem culcita, quod

quod pulvillus apud Vitruvium. Sunt autem projecturæ orbiculatæ, eminentes extra ſolidum. Dicuntur a figura culcitarum, vel pulvillorum in lectis, præcipuè cum ſunt convoluti.

CULINA. Pars ædium coquendis obſoniis deſignata. Nullus olim Romæ coquorum uſus; accerſebantur verò publici ex macello. Sed poſtquam Aſiatica victoria peregrinæ luxuriæ aditum fecit, epulæ, menſæque lautiores inductæ, cum apparatu cætero, ſumptuque eſcario largiore: coqui verò, viliſſima prius mancipia, in pretio habiti; &, quod miniſterium ante fuerat, ars, ut Livius memorat, eſſe cæpit. *Cucina*.

CULMEN. Suprema pars ædium. Faſtigium. Dicitur a culmis, nempe calamis frumentaceis, quoniam antiquitus eo ſtramento ædes tegebantur. A culmine fit columen, qua voce trabem vocamus, quæ omnium altiſſima tectum ſuſtinet. Ex eadem origine. *Colmo*, *Colmigno*.

CULTELLARE. Agrum cultellare, legitur apud Frontinum, Hyginum, & alios. Eſt autem agrum ad planitiem redigere. Præſtabant hoc Agrimenſores funiculo extento ad perpendiculum, quo de agris nunc depreſſis, nunc aſſurgentibus, certam rationem inibant. Dicitur autem id cultellare a cultro ſciſſorio, ita collocato in tabula, ad hujus planitiem, ſive inæqualitatem cognoſcendam, ut coſta ſurſum erigatur, acies vergat ad tabulam; ſitque ejuſdem horizonti perpendicularis. Id verò eſt, quod non ſemel legitur apud Vitruvium: *In cultro collocare*, acie nempe cultri explorare ſubjectum planum, ut obſervant Philander, & Baldus.

CULTELLUS. Ad ſimilitudinem cultelli menſorii Vitruvius l. 7. 3. cultellos vocat aſſulas cuneatas, quæ colligationibus tectorii in contignationibus inſeruntur ad majorem firmitatem, & nexum. Sic autem ſcribit: *Ad aſſeres tomicæ religentur, cultellique lignei in eas configantur*. Barbarus reddit *Spatelle*; mihi ſunt *Cavicchi*, *Zeppe*.

CUNEUS. Propriè ferrum, vel lignum ex uno capite latum qua-

quadratumque, ex altero acutum, aptumque ad findendum. *Conio*, *Bietta*, *Cavicchio*, *Zeppa*. Ejus formæ cunei ferrei adiguntur ferreis item malleis in ſaxa ſilicea, quæ mox dolabris diſſiliunt; vel in muros, qui iiſdem dolabris, vel malleis diruuntur. De cuneo mechanico nihil ſcripſit Vitruvius, qui cæteroqui una eſt ex quinque, ut vocant, potentiis, in quibus tota vertitur ars machinaria. Incredibile nimirum obtinet robur in ſolidis divellendis, quæ prævalida impreſſione in rimam adactus diffringi cogit. Cuneos appellat Vitruvius partes fornicis, quam figuram exprimunt, qui in modum crucis extructi angulos, & velum nauticum repræſentant. Fornices cuneati. *Volta a vela*, *Crociera*. Ejuſmodi cuneos idem Vitruvius l. 6. 11. vocat concluſuras: *Ad centrum reſpondent concluſuræ*. Cuneus in theatris erat ſedilium & ſcalarum figura, quæ prope caveam, qui dignior erat & aptior ad ſpectandum locus, erat adſtrictior, in altum gradatim latior. Hinc theatrum cuneatum eſt dictum; & ab Apulejo excuneati appellantur, quibus non erat ſedendi locus in cuneis; ſed ab iis excluſi ſedebant in via. Cunei miniacei, aut ſilacei leguntur apud Vitruvium l. 7. 5. ubi agit de abacorum picturis in cubiculis. Sunt autem cruſtæ, lapilli, teſtulæque lapideæ, illitæ colore minii, vel ſilis, quod eſt pigmentum lutei, aliis cærulei coloris.

CUNICULUS. Pro canali, per quem vapor trahitur in re balneari, ſumitur in Pandectis. Eſt etiam meatus ſubterraneus, arte præfoſſus, quo non recens ſolum militia utitur ad ſubruendos muros; verum etiam uſurpabatur in oppugnatione urbium, ſed ſine uſu pulveris pyrii, ab ædificatoria Veterum. *Mina*. De ejuſmodi cuniculis prolixè agimus in noſtro Lexico Militari; quod conſule in aliis etiam Architecturæ munitoriæ vocabulis, quæ hic ſummatim exponuntur.

CURIA. Publici conſilii locus. A cura dictus, authore Feſto, quoniam ibi de publicis curis agitur. Dicebatur

tur

Digitized by Google

tur autem Curia primum de Regia Principis. *Virg.*

——— Laurentis Regia Pici:
Hic ſceptra accipere, & primos attollere faſces
Regibus omen erat; hoc illis Curia templum.

Hodie non de Principis modò, aut de publicis ædibus, ubi in medium conſulitur, ſed de omnibus foris judiciariis Curia dicitur. Legitur tamen in Jure Civili antiquo Curia pro Foro juridico. Longè tamen frequentiùs pro Sede Conſilii publici uſurpatam invenies. Curiam, ubi Senatus habitus, primus in Monte Cœlio ædificavit Tullius Hoſtilius Rex, quæ ab eodem Curia Hoſtilia vocabatur. In ea ſolis Senatoribus fas erat conſidere. Aliam Pompejus extruxit, quæ Pompeja, aliis Pompejana eſt appellata. In eam non modò Senatores, ſed civici etiam Magiſtratus coibant. In Curia Julia, a Julio Cæſare conſtituta, Legationes, & externa negotia expediebantur. Curiata Comitia, in quibus populus per Curias diviſus ferebat ſuffragia, a Rege Romulo ſunt primùm inſtituta. In tres partes Romulus Urbem diviſit, quas tribus appellavit. Singulas poſtea tribus in decem partes partitus eſt; eaſque Curias nuncupavit. Triginta a Romulo inſtitutis, additæ ſunt poſtea quinque. Sua cuique Curiæ ſacra, ſuos Deos, ſumptuſque ex ærario publico aſſignavit Romulus. Nomina Curiis a nominibus raptarum Sabinarum impoſita, docet Livius. Sed Varro ante Sabinarum raptum Curias inſtitutas; iiſque partim a Ducibus, partim ab Urbibus aliquot addita fuiſſe nomina prædocuerat. Curiales dicebantur, qui ejuſdem erant Curiæ, ut tribules, qui ejuſdem tribus. Curiarum Comitia, Curiata; præſcriptiones, Curiatæ leges dicebantur. Qui ſacris uniuſcujuſque Curiæ præerant, vocabantur Curiones. Veteribus illis Curiis planè reſpondent hodiernæ populi partitiones in urbibus, ad res ſacras obeundas ſpectantes, quas Parœcias vocamus. In iis verò Parœciis Sacrorum miniſtri Curionibus illis reſpondent. Obſervandum eſt, nunc etiam

eas

eas Parœcias vulgo *Cure*, & Sacerdotes Miniſtros *Curati* appellari; utrumque ſcilicet a Latina voce *Cura*, quemadmodum Curia, & Curiones antiqui indidem dicti ſunt, authore Feſto.

CUROTROPHIUM. Locus deſtinatus alendis pueris, a quibus vocabuli etymon. Differt a brephotrophio, quoniam in hoc infantes expoſiti, aut egenis nati parentibus, aluntur, in illo pueri grandiuſculi, qui nondum victum ſibi per ætatem parare poſſunt.

CURRICULUM. Spatium ad currendum aptum. Item aditus, quo in ædibus ex una parte in alteram fit tranſitus. *Paſſetto*, *Corridore*.

CUSTODIA. Locus, ubi captivi aſſervantur. Cuſtodiam porro dicimus non ſolum milites excubias agentes, ſed locum ipſum excubiarum, quem Vigiliam etiam vocavit Cicero his verbis: *Hæc mea ſedes eſt*, *hæc Vigilia*, *hæc cuſtodia*, *hoc præſidium ſtativum*. Vide *Carcer*.

CYMATIUM. Vitr. l. 4. 6. In capitulis columnarum, epiſtyliis, & januis pars eſt, quæ ſenſim gracileſcit in curvaturam, ad modum undæ, ex quo eidem nomen ex Græco, & ſine angulo. Cymation Doricum deforis, Lesbium interius gracileſcit. *Cimaſa*, *Gola*. Doricum, *Gola dritta*, Lesbium, *Gola roverſcia* appellatur.

D

DÆDALUS, a, um. *Lucretius*, & DÆDALÆUS, a, um. Opera dædala vocantur, quæ novo, ingenioſo, & mirabili artificio fabricata ſunt. Et Pauſanias quidem omnia ſimulacra lignea vocat dædala. Propriè tamen de iis efferri ſolent, quæ ſuapte natura moveri videntur, cum verè occulto moveantur artificio, & præſertim infuſo Mercurio; cujuſmodi erat ſimulacrum Veneris, quod com-

Digitized by Google

commemorat Themiſtius. Sic autem appellari plerique opinantur a Dædalo artifice & machinario ingenioſiſſimo, ad quem alia præclara inventa refert Plinius pluribus in locis.

DEALBATORES. Memorantur L. *De excuſat. Artific. lib.* 10. Hoc inter Albinos, quorum ibidem fit mentio, & Dealbatores intereſſe tradit Cujacius, ut Albinorum ſit parietes, Dealbatorum alia quælibet dealbare. Tectores verò qui dicuntur, quæ cæmentis ſtructa ſunt, linunt & poliunt. *Imbiancatori*.

DEALBO. Albarium induco. *Non ſolent duos parietes de eadem dealbare fidelia*; paroemiæ loco dictum eſt a Cicerone 7. *Famil. Epiſt.* 29. ad indicandum, eadem opera duplicem inire gratiam, vel duos demereri.

DEAMBULACRUM. Ambulacrum. *Mamertinus in Paneg.*

DEAMBULATORIUM. Ambulacrum. *Capitolinus*.

DECASTYLOS. Decem columnas habens. *Vitr.* l. 3. 1.

DECEMPEDA. Vide *Pertica*.

DEDUCTORIUM. Canalis ad effundendam aquam. *Palladius*.

DEFORMATIO. Pro detractione formæ & venuſtatis utitur Cicero hoc nomine. Vitruvius deformationem grammicam vocat primum rei, quam molimur, ſpecimen, & rude exemplar, quod fit in cera, gypſo, argilla, vel etiam tabula, aut per lineas in papyro, pro cujuſque artis inſtituto. Eſt in parvo operis rudimentum, ex cujus inſpectione perficitur poſtea ipſum opus. Idem deſignatio, & delineatio dicitur. *Diſegno*, *Modello*, *Schizzo*, *Abozzatura*.

DELICIA, æ. Item deliquia. Tignum, quod a culmine uſque ad tegulas angulares porrigitur, & ad ipſas deſinit ſubgrundas. Dicitur ab aquis effundendis. *Feſtus*. Hinc etiam originem trahas vocabuli *Deliciæ*, pro oblectamento & blanditiis. Ab iis enim, quibus oblectamur, irrigua quadam quaſi dulcedine perfundimur, quemadmodum horti, & areæ herbariæ aquarum irrigatione gaudent, & hilareſcunt.

DE-

Digitized by Google

DELUBRUM. Servio eſt templum pluribus Diis commune. Dicitur a *diluo*, ut pollubrium a *polluo*; quoniam ibi non tam manus a lacu aliquo, ut apud Veteres ante aram poſito, quam animi a maculis ſordium abluuntur. Aliud etymon affertur a Varrone, qui docet delubrum partem illam eſſe, ubi Dei ſtatua, cum dedicatur, imponitur: utque candelabrum locus eſt, ubi candela figitur, ſic delubrum eſt locus, ubi figitur Idolum. Eam templi partem, quam admodum religioſè habebant, coronis ornari conſueviſſe, indicat Silius l. 1.

——— triumphum

Tarpeji clamant Jovis, & delubra coronant.

DELUMBATA LACUNARIA. Occurrunt apud Vitruvium l. 6. 5. Quæ non ſunt perfectà rotunda. Barbarus vertit *Schiacciati*. An potius propendula? Certe delumbes, & delumbati in anteriorem partem pendent. *Sciancati*.

DENTES. *Vitr.* l. 6. 11. Fultura in ædificiis ad modum ſerræ; qua forma dentes in ore animalium ſeriatim ſunt diſpoſiti.

DENTICULI. Ornamentum Zophori in epiſtylio ordinis Jonici, ad humanorum dentium ſimilitudinem. *Vitr.* l. 4. 1. *Dentelli*.

DESIGNATIO. Cicero. *Diſegno*.

DESPUMO, as. Metaphora ab iis, qui ſpumas auferunt ab ollis ardentibus, translata, dicit Vitruvius cote deſpumare pavimentum, ideſt abſtergere, & levigare. *Dar l'orſo*. Parietes etiam deſpumati dicuntur, cum illis ſuprema manus imponitur purioris calcis attritu. *Liſciare*. Item deſpumari lateres dicimus, cum alii ab aliis atteruntur, ex quo æqualitatem & nitorem quendam accipiunt. *Arrotare*.

DESTINA. Fit ab antiquo verbo *ſtano*, vel *ſtino*, quod erat *ſto*, ex quo verbum *deſtino*. Columnam ſignificat. Utitur hac voce Lucilius. Arnobius etiam Atlantem Cæli tibicinem, & deſtinam appellat.

DIACOPI. Inciſiones ad aquas deducendas. *Ulpianus*. Vide *Incilia*.

DIÆTA.

Digitized by Google

DIÆTA. Exponi ſolet de pluribus cubiculis ſimul junctis, ut ex altero in alterum fiat tranſitus; quæ connexiones cubiculorum plures vel pauciores in iiſdem ædibus produci ſolent, pro earum ſcilicet amplitudine. *Appartamenti*. Videtur tamen certum, Diætam ſumi etiam pro cœnaculo. Sidonius Epiſt. l. 2. 2. *Ex hoc triclinio fit in diætam, ſive cœnatiunculam tranſitus*. Et quoniam in cœnaculis, & inter epulas, eruditos ſermones Philoſophi ſociabant, ex quo Platonis convivium, & Plutarchi Sympoſiacæ quæſtiones celebrantur, inde factum, ut etiam nunc alicubi diætæ appellentur cœtus Patriciorum, & Procerum, qui negotia publica, & quæ ad ordinationem pertinent publici ſtatus, pertractant. Antiquitus id apud Germanos factitatum inter epulandum, tradit Tacitus de Morib. Germ. *De pace, & bello plerumque in conviviis conſultant*.

DIAGRAMMA. Vitruvius, quod alibi vocavit deformationem grammicam, iterum appellat Diagramma. Figura per lineas ruditer expreſſa.

DIAMICTON. Latinè permiſtum. Structuræ genus, quo medii parietes fractis cœmentis farciuntur. *Plinius*. Ubi quidam corruptè legunt Dictyotheton, vel Dictyoton.

DIASTYLOS. Dicitur de columnis ordine laxiore diſpoſitis. *Vitr*. l. 3. 2.

DIATHYRA. Vide *Prothyra*.

DIATHESIS. Apud Vitruvium l. 1. 2. eſt diſpoſitio.

DIATONI LATERES, vel lapides. Genus lapidum, quos Vitruvius l. 2. 4. frontatos ab utraque fronte terminante parietem, itemque Diatonos appellat. Frontati dicuntur, quoniam duplici fronte ad utramque muri partem per totam ejus craſſitudinem pertingunt; colligatique per latitudinem utramque ſtructuræ faciem terminant. Diatoni autem vocantur, quoniam admodum per latum extenti ſunt; id enim Græcis eſt Diatonos. Philander in aliis Codicibus Vitruvianis ſcribit legi Diatoros,

quod Latinè eſt penetrantes, quam lectionem æquè probat Baldus. *Muro a due teſte di mattone, o di ſaſſo.*

Diatoros. Vide *Diatoni Lateres.*

Diazomata. *Vitr.* l. 5. 7. Diviſiones ordinum in theatri ſedilibus. Sumi etiam ſolent pro ſpatiis plateolarum, gradibus ſcalarum, interjectis; cujuſmodi relinquuntur in domorum ſcalis, itemque inter gradus & januas templorum. *Ripiani.*

Didoron. Quod eſt longum pede, latum ſemipede. Ex Græco menſura eſt duorum palmorum. *Vitr.* l. 2. 3. Plinius docet cum Vitruvio ab antiquis Græcis *Doron* manum, ſeu palmam fuiſſe dictam: ex quo non ſolùm habemus vocem *Donum*, quod a manu dicitur; ſed etiam menſuram duodecim digitorum, quam a palma palmum majorem, ſeu Dodrantem vocamus. Ea verò vox *Doron* licèt in ſuo ſimplici non ſit in uſu, manet tamen in compoſitis; ac Didoron, Tetradoron, Pentadoron vocamus lateres in ſtructuris ædificiorum, qui duorum, quatuor, vel quinque palmorum longitudinem habent.

Digitus. Modulus aquarius, cujus diametros digitalis eſt. Habet locum in menſuris aquarum; quæ ab aquæductibus derivantur. *Paulus.*

Dioptra. *Vitruvius.* Dicitur a diſpiciendo, vel explorando. Machina Geometrica libratoria, qua latitudo, altitudo, & longitudo, etiam ex longinquo, dignoſcitur. Aquarum librationibus, iiſque deducendis, & dividendis inſervit.

Dipterus, a, um. Duas alas habens. Dipteræ columnæ, duplex ordo columnarum; dipterum templum, duas columnarum alas habens. *Vitr.* l. 3. 1.

Diplynthii, & Triplynthii parietes. Qui conſtant duorum, vel trium laterum ordine. *Vitr.* l. 2. 8. *Muro a due, o tre ordini di mattoni.*

Diſpoſitura. *Lucretius.* Et

Diſpoſitio. Ordinatio. Architecturæ pars præcipua, de qua agit Vitruvius l. 1. 2. Ab eodem definitur: *Rerum apta*

Digitized by Google

apta collocatio, *elegansque in compoſitionibus effectus operis*, *cum qualitate*. Idem Magiſter ejuſdem ſpecies ſtatuit Ichnographiam, Orthographiam, & Scenographiam.

DISTEGA. Latinè duplex contignatio. Licèt intelligi ſoleat, quarum altera alteri ſuperimpoſita, apertaque & patens eſt; cujuſmodi ſunt in theatris tabulata, quæ dicimus *Palchetti*, adhuc tamen uſurpatur de omni ædificio, ſive ſit theatrum, ſive navigium, ſive quid ſimile bipartitum. *Pollux*. Dicitur autem diſtega a ſtega, quæ Latinis eſt contignatio; & quamvis propriè uſurpetur de navibus, ut accipitur a Plauto in Bacchid., nihilominus ad quamcumque contignationem notandam idoneum eſt vocabulum. Hinc etiam triſtega, quod tres contignationes habet, & hypoſtega, quæ eſt contignatio tecta, cui opponuntur hypetræ. *Contignazione*.

DIVERSORIUM. Hoſpitium, quo ad tempus commorandi cauſa divertimus. *Cicero*. Alloggiamento.

DIVERSORIOLUM. Parvum diverſorium. *Cicero*.

DIVERTICULUM. Via tranſverſa, quam quis init, relicta via, quam inſtituerat. Servio viæ ſunt a latere viæ militaris. Singularem acceptionem habet in aquæductibus, qui ſæpe in decurſu a recto primoque tramite, aliò divertunt, propter opportunitatem, & faciliorem aditum. Diverticulo dextrorſum, diverticulo ſiniſtrorſum, formulæ ſunt crebrò uſurpatæ a Frontino.

DIVIDICULA, orum. *Dividicula*, inquit Feſtus, *Antiqui dicebant*, *quæ nunc ſunt caſtella*, *ex quibus a rivo communi aquam quiſque in ſuum fundum ducit*.

DOLABRA. Mirum eſt Lexicarios dolabræ ædificatoriæ non meminiſſe. Adhuc tamen magis demirandum, afferri exempla ædificatoriæ, cum exponunt fabri materiarii dolabram, quæ aſcia etiam dicitur. Quod verò genus inſtrumenti vocandum ſit dolabra ædificatoria, adhuc non eſt compertum. Academici a Furfure vocem *Beccaſtrino*, quam Latinè reddunt *dolabra*, ſic exponunt:

Digitized by Google

Sorta di zappa groſſa, e ſtretta, che ſerve per cavar ſaſſi. Non admodum arridet, Ligonis genus vocari dolabram: nam palus ferreus, quo cæmentarii ſaxa eruunt, Ligonem non dixerim, licèt ferrum ſit anguſtum craſſumque. Romæ in Columna Trajani cernuntur ſecures, acie unica & ſimplici, acuminatæ ex altera parte. Sunt qui eas, dolabras cenſeant. Redarguit tamen eos Scriptores Palladius l. 1. c. ult., ubi meminit ſecuris dolabratæ, quam opinor appellari, quæ ferro conſtat leviter arcuato, ex una parte acuto, ex altera ad modum ſecuris quadrata acie, cum ligneo manubrio, & vulgo dicitur *Gravina*: cujuſmodi forte ſunt commemorata inſtrumenta in Columna Trajani. Dum enim Palladius recenſet ſecures dolabratas, profectò dolabras, ſecures dolabratas non eſſe ſignificat. Supereſt proinde ut dolabram dicamus palum ferreum; planum a capite, ex parte infima acutum, aptum ad diruendum, & eruenda ſaxa ſilicea, præfixis maximè cuneis ferreis. *Palo*, *Paletto*, *Piccone*. Eos poſtremò palos, ſi caput non planum habeant, ſed in aciem ſecuris formatum, tunc illos non dolabras, ſed ſecures dolabratas dixerim, ut arcuatum ferrum, ſuperius expoſitum.

Doma, atos. Græcanica notione tectum eſt; ſed ſtrictiùs Architecti domata appellant, quæ ſupra totam domum, vel templum, ac proinde ſupra ipſum tectum, aſſurgunt. Hujuſmodi ſunt turriculæ, & ſpeculæ, quæ ſupra tectum, & liberum exhibent latè proſpectum, &, veluti corona quædam & umbella, ædificio, ipſique potiſſimum tecto, ornatum addunt & dignitatem. *Loggia.*

Domicilium. Domus, ſed ubi paulo diuturniùs quis habitavit; vel ipſa habitatio diuturna. Nam qui ad breve tempus alicubi habitat, & inde digreditur, domum ibi dicitur habuiſſe, non domicilium. Licèt verò quiſpiam conductitiam domum incolat, dummodo cum familia & rebus ſuis ſtabili perpetuaque ſede ibi degat, habere ibidem domicilium verè dicitur.

Do-

DOMUNCULA. *Apulejus*, &

DOMUSCULA. Parva domus. *Idem*.

DOMUS. Structura ad habitandum ſtabilis, fixaque, tecto præcipue & parietibus conſtans. Stabilem fixamque dixi; neque enim domum dixeris navim, licèt in diuturna navigatione, aut plauſtra Scytharum. Caret domo pars non exigua terrarum, ubi nemora indigenæ habitant, cujuſmodi præ aliis ſunt Hyperborei, & Arimphæi. Minimùm ab his diſtant, quibus marinarum teſtudinum, ut Plinius refert L. 9. 10. operimenta ſunt tectum; aut Mauri, quibus ſcirpi fragiles paluſtreſque conficiunt teguriola. Athenienſibus Euryalus, & Hyperbius fratres primi commonſtrarunt Domorum uſum; ſpecus illis antea pro domibus erant. Non omittam indicare Cyrenaicos quoſdam populos ſale, e montibus ſuis exciſo, tamquam lapide, ſibi domos, ſi Plinio credimus, comparaſſe. Romanos autem conſtat domos humiles, cum ipſi viri eſſent, culmis frumentaceis operuiſſe. Iidem, eliſis poſtea primœvæ diſciplinæ nervis, ad eas marmorearum ædium aurearumque moles extollendas progreſſi ſunt, quas paucis complexus exprobravit Seneca ad Lucilium: *Culmus liberos texit*; *ſub marmore atque auro ſervitus habitat*. Senecæ Plinius amœbœum canit, vetuſtis Romæ ædificiis cum Caji, & Neronis ædibus, comparatis: *Quorum agri minorem modum obtinuere*, *quam cellaria iſtorum*. Non eſt ambigendum, poſtquam cavernas, ut dixi, incolere vetuſtiſſimos mortalium tædium cepit, e luto prima habitacula fuiſſe ruditer extructa, prædocentibus hirundinibus, quæ ex eadem materia nidos concinnant. Ad earum imitationem caſas luteas primus, teſte Plinio, extuliſſe fertur Doxius, Celei frater, qui Jacobi Hæbræorum Patriarchæ tempore vixiſſe traditur. Furcis poſtea, cerviſque, & ramalibus tecta ea tuguria ad majorem firmitatem. Neceſſitati nimirum, non elegantiæ & deliciis frugales illi ſtudebant. Verùm de primœvo more habitandi, & incrementis ædificio-

ficiorum poſt inoleſcentem paulatim per ætates luxum, vide plura apud Vitruvium l. 2. 1.

Doricus ordo. A diſpari Numinum conditione, quibus templa erigebantur, ipſa multiplicis ſtructuræ ratio deſumpta eſt. Triplex eſt Deorum claſſis, fortium, delicatorum, & mediorum. Fortibus, Marti ſcilicet, Herculi, Palladi &c. ſtructura Dorica, ſeverior & gravior, aſſignata eſt. Delicatis, ut Veneri, Proſerpinæ, Floræ &c. ordo Corinthius adſcriptus eſt, mollior & venuſtior. Mediis, ut Junoni, Dianæ, Baccho &c. Jonicus ordo eſt addictus, ex firmo & gracili, ſevero & concinno temperatus. Nam Tuſcanica ſtructura, quoniam ſimplex erat & rudis, agreſtibus ædificiis, profaniſque, nec Diis, niſi forte ſilveſtribus & Inferis, adhibebatur. Doricus itaque ordo totus eſt in imitatione naturæ; ejuſque firmitatem, & gravitatem operum redolet. Non folia & cavliculos, ſed ſolidam prominentiam admittit. Neque verò idcirco omnem reſpuit ornatum, ut ordo Tuſcanicus, ſed iis dumtaxat ornamentis gaudet, quæ firmitudinem operi, majeſtatemque conciliant. A Doriis dicitur, apud quos originem habuit. Eum verò ordinem omnium fuiſſe antiquiſſimum, ex ejuſdem origine licet conjicere. Cum enim Græci antiquitus fanum Apollini conſtituiſſent; animuſque iiſdem eſſet columnis illud ornare, parum gnari ſymmetriarum, virilis pedis veſtigium dimenſi ſunt: cumque inveniſſent veſtigium pedis ſextam eſſe partem in altitudine humani corporis, eum commenſum in columnas tranſtulerunt: atque inde in Doricis columnis, ut a corpore virili, gravis quædam & virilis proportio dignoſcitur. Cum verò iidem Græci ædem poſtea Dianæ condere ſtatuiſſent, ex fœminea matronarum figura, ornamenta quædam in baſi & capitulis accerſiverunt. Quod cum Jones præſtitiſſent, ab eorum nomine ordo Jonicus appellari cæpit. Poſtremò ulterius progreſſi ad puellarum virginum ſimilitudinem, elegantius quiddam floridiuſque commenti ſunt:

Digitized by Google

ſunt: ex quo Corinthii ordinis ſymmetriam, omnium venuſtiſſimam, retinemus. *Ordine Dorico*.

DORMITORIUM. Cubiculum ſomno capiendo aſſignatum. *Plinius*.

DURETA. Vas amplum in balneis, in quo ſedentes lavari ſolebant, Hiſpanica voce Duretam nuncupari, ſcribit Svetonius in Auguſto 8. 2.

E

ECCLESIA. Græcè cœtus, conventus. Item locus ipſe conventûs: ſic enim aulam publici conſilii vocabant Athenienſes: quò reſpexit Plinius ad Trajan. l. 10. 3. *Bule, & Eccleſia conſentiente*. Quoniam verò Vitruvius l. 7. 5. expreſsè habet Eccleſiaſtirion pro parvo theatro, dubitari non poteſt, Eccleſiam antiquis etiam theatrum fuiſſe. Apud nos Templum eſt, ubi Fideles congregantur.

ECCLESIASTIRION. Vitruvius tradit, minuſculum quoddam theatrum a Trallenſibus Eccleſiaſtirium fuiſſe dictum; locumque fuiſſe, in quo ad colloquendum homines convenirent. Proinde Eccleſiaſtiria etiam dicerem ædiculas, vel aulas pſallendo, diviniſque rebus audiendis conſtitutas. *Oratorii*, *Congregazioni*, *Confraternite*.

ECHINOMETRÆ. Formulæ matrices e creta, gypſo, argilla, vel ſimili materia in cavum actæ, quibus fuſum æs figuram accipit. *Matrici*.

ECHINUS. Aquatile teſtaceum, orbiculatum, & undique ſpinoſum. Spinas habet pro pedibus, quas idcirco detritas ſæpe deprehendimus. Ejuſdem figuræ animal terreſtre, alio nomine ericius, & erinaceus. In Architectura Echinos dicimus tegumenta caſtanearum, ad eamdem formam ſpinoſa. Ea verò adaperto cortice ſeriatim di-

Digitized by Google

diſpoſita capitulis Dorici, Jonici, & Compoſiti ordinis adſcalpuntur. Id genus ornamenti, quoniam ovis admodum ſimile eſt, appellamus *Ovoli*. In Tuſcanica ſymmetriam eadem pars, ſive planum, quod eſt inter plynthum, & anulos, licèt echinis careat, adhuc nominatur Echinus, & Italis *Ovolo*. Adhibentur etiam Echini in cymatiis, integra, vel dimidiata ſcalptura; iiſque hamata ſpicula interponi ſolent, quaſi ad eoſdem ſcindendos. Dicimus etiam tectum echinatum, vel quod ſpiſſis ſcabriſque tegulis componitur; vel quod coronides habet ex opere echinato.

ECHINATUM TECTUM. Vide *Echinus*.

ECPHORA. Vitruvius l. 6. 2. Ecphoras more ſuo Græcè vocat, qnod interdum etiam appellat Latinè projecturas. *Sporti*.

ECTYPA SIMULACRA. Ex Plinio ſunt, quæ prominent, extantque; ſicut Entypa, quæ intus depreſſa ſunt & inciſa. Hæc ad ſcalpturam, illa ad ſculpturam pertinent. Et Ectypum capri ſimulacrum ſic expoſuit Juvenalis Sat. 1.

Criminibus debent hortos, prætoria, menſas,
Argentum vetus, & ſtantem extra pocula caprum.

Poſtyca verò ſimulacra, eodem Plinio authore, alteram tantummodo imaginis partem oſtendunt. Commemorata imaginum genera Dibutadem primùm monſtraſſe, idem addocet Plinius. Uſurpantur hæ voces plerumque in gemmis anularibus, inciſis, vel extantibus figuris, impreſſis.

ECTYPUS, a, um. Sculpturas ectypas vocat Plinius, quæ in ipſis typis formantur. *Matrici*.

ELÆOTHESIUM. Latinè unctorium. Pars balnei. Vide *Balneæ*.

ELECTRUM. Vide *Succinum*.

EMBLEMA. Ab inſerendo, notione Græcanica, emblemata appellantur metallica ornamenta, item gemmea, marmorea, atque adeo ſerica, & byſſina, quæ in menſis,

va-

Digitized by Google

vaſculis, ſellis, parietibus, & pavimentis fieri ſolent. Inſeruntur autem teſſellis, vel ſegmentis ita colligatis, aut coagmentatis, ut imagines pennicillo depictas repræſentent. In veſtibus appoſita eximi facilè poſſunt, & plumati, undulati, ſcutulati operis nuncupantur. In pavimentis, & parietibus vermiculata, muſiva, teſſellata dicuntur opera; in ligneis ſtructuris ſegmentata. *Opere a muſaico*, *Intarſiature*. Univerſum hoc ornamenti genus in poculis, vaſibus, toreumatis, & ſimilibus, ſi inſertum detrahi poteſt, cruſta appellatur, qua acceptione legitur apud Ciceronem; ſi non poteſt divelli, opus anaglypticum dicitur.

EMBATER. Vide *Embolus*.

EMBOLUS. Quidquid in ſtructuris & machinis, cum vi penetrandi aliquò inditur, embolus dici poteſt. Vitruvius l. 10. 12. lignum teres, reductile, quod modiolorum cavitates implet, embolum nominat. Fortaſſe quid ſimile eſt Embater apud eumdem l. 1. 2. cujus vocis, quæ ingreſſorem ſonat, germanam ſignificationem adhuc quærunt Interpretes. Embolum Italicè dixeris *Maſchio*.

EMINENTIA. Appoſitè eminentiam Latinè dicimus opus anaglypticum. *Rilievo*. Sculptura integræ, dimidiæ, levioris, vel depreſſioris eminentiæ; ut quidpiam in marmore, ære, ligno, aut opere plaſtico diverſimode extat, eminetque.

EMINULUS, a, um. *Varro*. Scalpturæ eminulæ, quæ parum eminent. *Rilievo ſmaccato*.

EMISSARIUM. Oſtium ad deducendas aquas extructum, cum ligneo, vel ferreo repagulo reductili. Item emiſſarium vocat Vitruvius l. 8. 7. foramen in Caſtellis aquæductuum, quod aquam recipit ad eamdem emittendam, & in privatos uſus, vel publicos diſtribuendam. Sunt tamen qui ibi pro emiſſario, legunt Immiſſarium.

EMUSSITATUS, a, um. Sic legit Feſtus in Plauto, ubi amuſſitatum vulgò legitur. Et Aldina quidem editio, aliæque caſtigatiores Emuſſitatum habent. Nec id ſolùm

propter facilem tranſitum ex *a* ad *e*, & e contrario; verùm etiam a voce examuſſim, ex qua emuſſitatus, quaſi examuſſitatus.

EMPLECTON. Vitr. 2. 8. ſtructura exterius polita, intus farctura rudi coagmentata. Sic appellatur notione Græca, a capillis mulierum, qui a fronte compti ſunt, interius ornatum non habent: ut obſervat Salmaſius in *Solin.*

EMPORIUM. Forum nundinarium. *Emporio*, *Mercato*.

ENCARPUS. Vitr. l. 4. 1. Sertum, vel potius textura ex foliis, floribus, pomiſque complicata. Non ſolùm epiſtyliis columnarum Corynthii, & Compoſiti ordinis, verùm etiam in antepagmentis, conſpicuiſque aliis partibus apponi ſolet. *Feſtone*.

ENTASIS. Latinè intentio, vel inflatio. Dicitur a Vitruvio medius columnæ ſcapus, ubi eadem molliter intumeſcit. *Pancia della Colonna*.

ENTYPA SIMULACRA. Vide *Ectypa*.

EPAGON. Vide *Artemon*.

EPHŒBÆUM. Pars palæſtræ, puberum exercitationi addicta.

EPIBATHRA. Machina, vel pons ſcanſorius; utroque enim modo exponitur.

EPISCENIUM. *Vitr.* l. 7. 1. Quod eſt ſupra ſcenam; ut proſcenium, quod eſt ante, poſtſcenium, quod eſt poſt ſcenam.

EPISCHIDION. A Vitruvio accipitur pro cuneo, quo ligna finduntur.

EPISTOMIUM. *Varro*. Latinis oris obſtructio. Æreum inſtrumentum, vertibulum in medio pertuſum habens, quo admittitur, vel prohibetur aqua. Eodem inſtrumento elicitur aqua ex aquæductibus, & vinum e doliis, ad uſus domeſticos.

EPISTYLIUM. Non eſt columnarum capitulum, vel capitellum, ut omnes Lexicarii adverſus omnes Architectos affirmant. Vitruvius pluribus in locis ea diſtinguit; tertio vero capite libri tertii primùm de capitulis, poſtea de

Digitized by Google

de Epiſtyliis diſtinctè clarèque diſſertans, ait: *Capitulis perfectis, reſpondent ſymmetriæ epiſtyliorum*. Adverte Plinii lapſum, qui errandi anſam cæteris dedit l. 36. 23. ubi ſcripſit: *Columnis ſpiræ ſubditæ, & capitula addita*. Dicendum erat, baſes & capitula ſcapis addita, non columnis. Columna ſuas partes habet, baſim, ſcapum, & capitulum. Epiſtylium, ut vox Græca ſonat, ſupra columnam eſt; eamque partem occupat, quæ ad modum trabis ſupra columnas excurrit. *Architrave*. Accipi etiam latiùs ſolet pro integra trabeatione, quæ acroteria, cymatium, coronam, Zophorum, & quidquid eſt ſupra columnas, complectitur. *Finimento.*

Epitithidas. Latinè ſuperimpoſitiones. Suprema membra coronidis, quæ ædificiorum faſtigio, vel columnis adduntur. *Finimenti*.

Equestria. Locus in theatro, ubi equites ſpectabant. Qui autem iiſdem erat attributus lege L. Roſcii Othonis, quatuordecim gradus continebat; eratque inter orcheſtram, ubi Senatores aſſidebant, & caveam, ubi populus ſpectabat. *Horatius*.

Sedilibuſque magnus in primis eques,
Othone contempto, ſedet.

Equile. Equorum ſtabulum.

Ergastulum. Carcer agreſtis, ubi ſervi vincti ad opus faciendum detinebantur. Differt a carcere, quoniam in hoc authoritate publica Magiſtratus liberi homines, ibi herorum privato judicio ſervi puniebantur.

Ergata. Machina tractoria omnium vulgatiſſima, cui ab operando ex Græco nomen. Proximè accedit ad ſuculam; ſed ergata erecta eſt, & perpendiculariter plano inſiſtit; ideoque ſolis animalibus agitur; cum ſucula quovis inani pondere circumrotetur. Utrique vectes ſuppetunt, & in medio tympanum: ſucula tamen, cum ſit ſupina, axem habet duplici nitentem cardini; unum dumtaxat inferius habet ergata, cum idoneo ad volutandum foramine. De utraque fuſè agit Vitruvius l. 10.

Digitized by Google

Ergata Italis *Argano*. Sucula apud Barbarum *Naſpo*, *Molinello*.

ERISMA. Vitruvio eſt idem quod arcus, ſeu pila, oppoſita muro inclinato ad fulturam. Vide *Anterides*. Idem Magiſter mentionem habet eriſmatum; ubi loquitur de ſcalis nauticis. Habent quippe in machinis ſcanſoriis eamdem vim, ac in ædificiis.

EROGATORIUS MODULUS. Vide *Acceptorius*.

EVERGANEÆ TRABES. Occurrunt apud Vitruvium l. 5. 1. Latinè dixeris validum opus præſtantes. Philander & Barbarus exponunt compactiles; ideoque firmiores & ſtabiles.

EURIPUS. Propriè ſignificat fretum anguſtum, cujuſmodi occurrit inter Aulidem Bœotiæ, & Eubœam inſulam, quod eſt maximè tempeſtuoſum. Euripi in Circenſibus ſeptum erant lapideum cum foſſis. In iis vino plenis navales ludos edidiſſe Heliogabalum, author eſt Spartianus. Julius Cæſar, Elephantorum ſpectaculum editurus, Circi arenam euripis circumdedit, cum antea lapidibus, & clathris ferreis cingeretur. Eos deinde Nero ſuſtulit; a quo tempore nullos in Circo fuiſſe euripos, memorat Plinius.

EURYTHMIA. Propriè numerorum concentus. In re architectonica eſt, ut ſunt verba Vitruvii, *Venuſta ſpecies, commoduſque in compoſitionibus membrorum effectus*. Philander concinnitatem Latinè reddit. Optima eſt partium diſtributio, nexus, & ſymmetria. *Ordine*.

EUSTYLOS. *Vitruvius*. Ordo columnarum, in quo ſpatium intercolumnii æquat craſſitudinem trium columnarum.

EUTHYGRAMMUS. *Vitr.* l. 1. 1. genus regulæ, quod Philander rectilineam reddidit: eſt regula rectæ ipſius lineæ directrix; quæ circini uſum regit.

EXCALDATIONES. Leguntur apud Scriptores Hiſtoriæ Auguſtæ, & præſertim apud Capitolinum in Albino. Lavacra erant in balneis muliebria, quibus viri, niſi admodum molles eſſent, nunquam, aut raro utebantur.

Ex-

Digitized by Google

EXCUNEATUS, a, um. Vide *Cuneus*.

EXEDRA. Vox eſt apud eruditos obſcuræ indaginis. Budæus cellam ſtudiariam exponit. Alexander ab Alex. cubiculum eſſe ſcribit columnis fultum, cum exciſis ſpatiis, quibus proſpectus erat in viam. Alii ex Cicerone conjiciunt, cellam fuiſſe ad colloquendum cum amicis, aut meridiandum. Polluci idem eſt, ac cœnaculum. Locum fuiſſe ad ſedendum conſtat ex notione Græca. Certè ſedilia erant in porticibus, ubi Philoſophi, & Rhetores diſputationibus exercebantur. Equidem quid ſimile fuiſſe exiſtimaverim porticibus umbellatis, ubi viri Patricii Neapoli conveniunt, & propria habent ſedilia. *Seggi*. Apud Vitruvium tamen lib. 6. 5. Exedræ, ut exponit Barbarus, cubicula majora erant in ædibus, ubi ad colloquium exteri excipiebantur; vel ubi ſomnus per æſtatem interdiu capiebatur.

EXEMPLAR, & Exemplum. In artefactis eſt prima diſpoſitio operis. *Modello*. Statuunt nonnulli, exemplar eſſe quod primùm conficitur. *Originale*. Exemplum verò quod ad hujus fit imitationem. *Copia*. Sed hoc diſcrimen Scriptores optimi non obſervant.

EXPRESSIO, onis, &

EXPRESSUS, us. Vitruvius l. 7. 3. expreſſiones vocat partes eminentes in cælaturis. *Parti rilevate*. Idem l. 8. 7. aſcenſus aquarum violentos per fiſtulas in aquæductibus, expreſſiones appellat.

EXOSTRA. Projectionem apud Latinos ſonat. Significatione olim ſcenica & theatrali, machina erat compacta ſublicis & longuriis, quæ ſuſtinebat ſellam, ex qua recitabantur in theatro, quæ ſecretò patrata erant in ædibus, ut oſtendunt exempla Sophoclis in Œdipode, & Plauti in Amphitryone, & Caſina. Significat etiam projecturas tegularum in ſummitate parietum, quæ eos ab imbre defendunt, ornatumque ſimul præſtant, & munimentum. Poſtremò exoſtra ponticulus eſt ſublicius, qui in oppugnatione urbium, ex turribus ligneis cum ar-

Digitized by Google

armato milite in muros hoſticos admovebatur.
Exscalpo. *Cato*. Excavo, Incido.
Extructio. Ædificandi actus, & ipſum ædificium.
Extramuranus, a, um. Quod eſt extra murum. *Lamprid.*
Extruo. Ædifico.

F

Faber. Ab opere faciendo dicitur. Nomen eſt iis omnibus commune, qui artibus faciundis dant operam, ex quavis illæ ſint materia, excepta cera, gypſo, & ſimilibus, qui Plaſtæ dicuntur. Uſus vocis fere eſt cum adjectivo, quo coarctatur, & trahitur ad expreſſiones ſingularum artium: Faber ferrarius, ærarius, tignarius, cæmentarius &c.

Fabrica. Non eſt ædificium dumtaxat; ſed ipſam quoque Fabri officinam ſignificat. Singulari nomine commemorantur fabricæ armorum, quæ publica erant ædificia, cudendis, & expoliendis armis erecta; cujuſmodi erant, ſcutaria, clibanaria, haſtaria, ſagittaria &c., quas prolixè recenſet digeritque Pancirolus in Comment. ad Notitiam Imperii. Fabrica a Vitruvio definitur, *Continuata, ac trita uſu meditatio, quæ manibus perficitur ex materia cujuſcumque generis eſt opus ad propoſitum deformationis*. De Fabricis civilibus vide quæ diximus in voce *Ædificatio*.

Fabricatio. *Cicero*.

Fabricator. *Cicero*. Qui fabricat.

Falere, is. Aliis Phalere, neutro genere. Occurrit apud Varronem. Quod ſit Architecturæ opus, negat Calepinus erui poſſe. Deſcribit ibi Varro avium theatridion; & Falere vocat ſuggeſtum arcuatum, ſupra quem ſpatiari

tiari

Digitized by Google

tiari licet in ambitum; infra verò anates e ſtagno revolantes ſtabulari ſolent. Martinius Falere referre videtur ad pilas, quæ mari & fluviis opponuntur, ad aquarum impetum retundendum. Non obſto, pilas illas littoribus immolitas aptè dici poſſe Faleria; ſed Varronis locus eſt de ſtagnis avium, non de littorum molitionibus. Faleria a falis dicuntur, quæ ab altitudine appellantur, vetuſta Etrúſcorum voce, qui Falandum, cælum nuncupabant. Falas proinde, & faleria non abnuerim dici pilas lapideas, cum pulvillis orbiculatis ad ovi figuram, quæ ſubſtrui ſolent in atriis ædium, & in periſtyliis, clauſtriſque cœtuum Religioſorum; præſtantque opportunitatem ſedilium. *Colonnette*, *Cordoni*, *Ripari* a *colonnette*. Falæ inſuper, rotundæ erant in Circo turriculæ ligneæ, teſte Vitruvio, ovi figuram referentes in faſtigio, non ad uſum ſpectatorum, ut lignea ſunt illa podiola, quæ Itali vocamus *Palchi*, exhibentia commoditatem ſedilium, locumque ad ſpectandum, quemadmodum explicari ſolent; ſed ad notandum numerum curriculorum. Conſtituebantur eadem ad tempus ipſo ludorum die, quibus peractis removebantur. Agrippa primus illas curaſſe dicitur. De iiſdem Juvenalis:

—— *ante ſalas*, *delphinorumque columnas*.

Quidnam autem columnæ, & delphines in Circo fuerint, ex verbis Caſſiodori monet Georgius Merula. Columnæ obeliſci erant; cujuſmodi prægrandes in Circo Maximo Auguſtus extulit. Conſiti illi erant prope euripum, vitrei maris imaginem referentem. Ad obeliſcorum, quos Juvenalis columnas vocat, ornatum delphines marmorei ludebant; vel marmoreæ, ut aliis placet, Nereides vectæ delphinibus eminebant.

FALÆ. Vide *Falere*.

FAMILIARICÆ CELLÆ. Vide *Cella*.

FANUM. Templum. Perottus ducit a Fauno, quia parum intereſt inter fanum, & faunum. Ineptiæ meraciſſimæ. Dicitur a fando; quoniam inde fata, ideſt effata, & re-

reſponſa Deûm petebantur: vel potius a Pontifice, qui, certa verba fando, illud dedicabat. Ædes nonnullis Diis dicatas Fana potius quam templa Veteres appellabant. Hinc Fana Cybeles; & fanatici dicti Galli, qui eam bacchantes, furore correpti, cum incompoſita corporum jactatione ſequebantur. Eadem Fanaticorum appellatio Hæreticis fuit emotæ mentis, & furioſis.

FARCTURA. Oppletio, fere ex vili materia; ut ſtructuræ ſunt extrinſecus marmore incruſtatæ, intus vili cæmento exſaturatæ. Vitruvius; *Monumenta facta ex marmore, intrinſecus calcata farcturis*. Id genus parum firmum Magiſter idem pronunciat l. 1. 8. propterea quod ex raritate cæmentorum fit, ut calx ab arena diſcedat, & paulatim coagmentatio diſſolvatur. Quam ob cauſam addit concidiſſe prope Urbem Romam quædam monumenta ex marmore quadrato, farcturis intus oppleta. Monet antem eam ſtructuram ſuſtentandam eſſe anſis ferreis, in fronte, plumbo indito, colligatis. Item farcturæ nomine materiam dicimus cæmentitiam, quæ medium ſpatium inter duas parietum frontes implet, & farcit. Id Plinius dixit medios parietes farcire cæmentis. Farctura pro actu, vel ratione farciendi, apud Columellam legitur.

FASCIA. In epiſtyliis ornamenta ſunt ad modum tæniarum. Gradatim apponi ſolent. Prima, ſecunda, & tertia faſcia in Jonicis, & Corinthiis epiſtyliis locum habet. In portarum vero antepagmentis prima faſcia a Vitruvio l. 4. 6. dicitur Corſa, de qua egimus proprio in loco. *Faſcia*.

FASCIOLA. Parva faſcia. *Cicero*.

FASTIGIUM. Summitas ædificii. Vide *Tectum*.

FASTIGATUS, & Faſtigiatus, a, um. In faſtigii acumen erectum.

FAVI. Vitruvius l. 7. 1. ſic appellat lapillos exagonos, quibus ſternuntur pavimenta; aliaque ædificia, ut porticus, dietæ, ſolaria, & præcinctiones fontium, ornatum

Digitized by Google

tum accipiunt. A favis, ſeu cellis apium, quæ eadem figura conſtant, nuncupantur. Id opus e ſectili marmore, & verſicoloribus calculis, Græci vocant Lithoſtrota. Occurrunt paſſim ejuſmodi emblemata, ac præſertim in templorum veterum pavimentis. Idem ibidem Vitruvius ita ſcribit: *Nulli gradus in ſcutulis, aut trigonis, aut quadratis, ſeu favis extent*. Ubi vides cum favis recenſeri lapillos alios, quibus pavimenta exornantur. Trigona ſunt calculi triangulares, a quorum commiſſura fit opus amygdalatum; nam triangulari fere figura ipſæ conſtant nuces amygdalæ, ut ſuo loco eſt notatum. Quadrata ſunt teſſellæ, ſeu teſſerulæ, quarum figura quadrata eſt, ut forma cubi. Teſſeras paulo infra recenſet Magiſter, quæ grandiuſculi ſunt lapilli, item quadrati. Scutulæ ſunt orbiculares & rotundæ; nec proinde dicuntur a ſcuto, vel ſcutulo, in quo deceptus eſt Barbarus, qui commemoratam in Vitruvio vocem *ſcutulis*, reddit *ſcudo*. Neque enim *ſcutulis* eſt a ſcutulo, ſed a ſcutula quæ eſt virga, Græcis ſcytale, conſueta apud Latinos permutatione *y* in *u*, ut Sylla, in Sulla. Clarè Palladius l. 1. 9. *Teſtaceum accipiant pavimentum, vel marmora, vel teſſeras, vel ſcutulas*. Sunt proinde in pavimentis ſcutulæ calculi teretes & rotundi, ad modum virgulæ. Salmaſius idem habet virgatum opus, & ſcutulatum. Nec niſi ſcutulis ejuſmodi ornata erant ſaga Gallorum, de quibus Virgilius l. 8. *Virgatis lucent ſagulis*.

FAVISSÆ, arum. Duo ſignificant ex Feſto, & Varrone, apud Gellium. Primum ciſternam munitam, cum aquæ copia, ad uſum templi. Iterum cellas ciſternis ſimiles, ubi condebantur vaſa, & ornamenta templorum, uſu detrita, aut quomodolibet vitiata. Valerius Soranus apud eundem Gellium faviſſas, quaſi flaviſſas putat dictas, quòd, inter alia, pecuniam flatam, ideſt conflatam, & ſignatam conderet. Voſſius a foveis dictas exiſtimat. Hunc ut ſequar, inclinat animus.

FEMORA. In triglyphis Dorici epiſtilii ſunt plana exſtantia

Digitized by Google

inter canaliculorum cavitates. Tria in ſingulis triglyphis numerantur, æquali ſpatio relicto canalibus, quoſ amplectuntur: ſunt autem ad metopas conſtituta. Appellationem habent a ſimilitudine humanorum femorum, quam partem erectam referunt. *Pianetti*, *Pianuzze*.

FENESTELLA. Parva feneſtra. In re munitoria ſunt in muris ſpiramina ad explorandum. Item relicta in iiſdem multiplicis figuræ foramina prope pinnas murorum, a quibus tutius tormenta, & miſſilia evibrantur. Viſuntur etiam alicubi ad portarum latera in ædibus ruſticanis, cum expeditis ad defenſionem fiſtulis majoribus, cæteroque ad inſidias, & ſubitas irruptiones amoliendas, paratu. *Feritoja*, *Baleſtriera*.

FENESTRA. Foramen in pariete cum repagulo, ad lumen recipiendum, & innovandum aerem, ne concluſæ ædes putreſcant ſitu, ſemper moleſto, interdum etiam exitioſo. Plures, aut pauciores aperiuntur pro domorum amplitudine, & craſſitudine, vel exilitate parietum. Translatè poſuit Terentius pro opportunitate ad vitia inducenda:

Huic quantam feneſtram ad vitia patefecerit!

Socratis eſt dictum, oportere feneſtrata eſſe hominum pectora. Id ſi contingeret, in ſinuoſis illis humanorum pectorum latibulis, minus technarum fraudumque, nec tot malignarum pravarumque cogitationum ſemina conderentur. Nullus dubito, feneſtram inſuper ab Antiquis uſurpatam fuiſſe pro armario excavato in pariete, licet hanc nominis notionem Lexicarii non recenſeant; ut enim rectè exponit Lambinus illud Plauti *Caſin.* 1. 1.

——— *concludére in feneſtram firmiter*,

non aliter commodè explicari poteſt, quam feneſtra pro armario accepta.

FERRAMENTUM. Horatius 1. 1. ferramenta appellat omnis generis ad fabricandum inſtrumenta.

——— *cras ferramenta Teanum*
Tolletis fabri.

FER-

FERRUM. Metallum notum, quod, in fornacibus ſubactum & emollitum, omnibus fere artibus, ſed ædificatoriæ præcipuum in modum, deſervit. Quod ex metallis ſciret magis fore neceſſarium, præ cæteris copioſum, & facilius parabile eſſe natura voluit. Idcirco auri, argentique venis exquirendis maria ſulcantur, & quam remotiſſimè navigat avaritia; ferri autem fodinæ ubique proveniunt. Cum nullæ fere cenſeantur artes & fabrefacta, ad quorum uſum aliquid ferri copia non conferat; cumque edomitum in fornacibus malleorum ictus ſuſtineat, invitaque naturæ duritie, in quaſcumque fabri juſſerint, formas ſe induat, merito proinde patientiæ typus & ſymbolum ſolet efferri. Quamobrem aptè ſimulacrum Herculi ab Alcone ferro eſt poſitum, ad coſtantiſſimam ejus viri tolerantiam in exantlandis laboribus, & periculis adeundis exprimendam. Adjumenta quidem & præſidia nobis ferrum præſtat eximia; ſed, ſi rite ponantur calculi, datique, & accepti rationes ſubducantur, innumeris humani generis cladibus, agrorum vaſtationibus, excidiis Urbium, poſt ferrum inventum, obnoxii ſumus. Hinc ſapienter Plinius ferrum, optimum, peſſimumque vitæ inſtrumentum nominavit. Ferrum, quaſi ferum dicitur. Ejus inventum plerique ad Chalybes, nonnulli ad Dactylos Idæos, nec pauci ad Cyclopes referunt, juxta Ætnam artem ferrariam antiquiſſimè exercentes. Non levia in ædificiis commoda extant e ferro in laminas attenuato. Conficiuntur præcipuè ex illis canales, qui producti ad extremitates tegularum, ferreiſque uncis admodum harpagonum inhærentes, acceptas aquas in tubos & infundibula, item ex lamina ſtructos, reddunt, egeruntque in ſcrobes expurgatorias, ex quibus poſtea in ciſternas influunt. *Latta*.

FESTRA. Apud Feſtum ex Ennio, per detractionem ſyllabæ mediæ, dicitur oſtium templi minuſculum; quaſi propter ſuam exiguitatem videatur potius feneſtra, quàm oſtium.

Fibula. Vitr. l. 10. 2. Vinculum, ac veluti clavus, quo ligna nectuntur. Figura varia elaboratæ deſerviunt colligationibus, quæ fiunt ferreis ſubſcudibus, in capite uſtulatis. *Fibbia*, *Borchia*, *Fermaglio*.

Fibulatio. Colligatio per fibulas. *Vitr.* l. 10. 3.

Fictile, is. Subſtant. *Plin.* Opus figuli. Vide *Figulus*.

Fictilis, le. *Plin.* A figulo factum, vel ad figulum pertinens.

Figlinum, i. Opus figuli. *Plin.* Vide *Figulus*.

Figlinus, a, um. Ad figulum pertinens. *Varro*.

Figularis, re. Quod pertinet ad figulum, ut rota figularis. Verſutior rota figulari. Adagium in verſipelles, vel inſtabiles. *Plaut.*

Figulina, æ, ſed uſitatius per ſyncopen

Figlina, æ. Officina figuli. *Plin.*

Fictor, oris. A fingendo, ideſt formando. Non de figulo ſolum dicitur, ſed de quocumque artifice, materiam ſuam formante. *Cicero*.

Figulus, i. Idem Fictor, & Plaſtes. Qui opera format ex creta. Plinius l. 15. 12. tradit Dibutadem Sicyonium, primum omnium opera ex creta formaſſe. Fabulatores Græci eam laudem referunt ad Prometheum, qui ex luto primum hominem coagulaverit. Horatius.

Fertur Prometheus addere principi
Limo coactus particulam undique
Deſectam, & inſani leonis
Vim ſtomaco apposuiſſe noſtro.

Nimirum Græci accepta ab Ægyptiis, & Hæbræis monumenta plurima ſacræ Hiſtoriæ ad inania & commentitia inventa verterunt. Docemur quippe ex Geneſ. 2. rerum omnium conditorem Deum primum hominem de limo formaſſe; quod vel ipſius opera, vel Angelorum miniſterio effectum, ex S. Auguſtino docet S. Thomas apud Cornelium a Lapide. Hinc uſurpare omnes poſſumus verba Job. 10. *Memento, quòd ſicut lutum feceris me*. Plaſticen, ſive figulinam facultatem matrem extitiſſe

tiſſe ſtatuariæ, ſculpturæ, & cælaturæ, a Paſitele pronunciatum fuiſſe refert Plinius l. 35. 12. Artem antiquiſſimam Samii præ cæteris illuſtrarunt. Hinc ſamia fictilia, æſtimata plurimi ab Antiquis, propter præſtantiam cretæ, quæ, in ea Inſula, omnium lectiſſima habebatur. Simulacra & ſtatuæ vetuſtiſſima origine fictiles ſolùm erant. Nec verò aliarum tantummodo rerum figuræ ex limo teſtaque formabantur, verùm Deorum etiam ſimulacra: *Senec.* de Conſolat. ad Helv. *Tum per fictiles Deos religiosè jurabatur.* Adde Propertium l. 4. 1.

Fictilibus crevere Deis hæc aurea templa.

Idem Seneca Epiſt. 90. Tuberonem laudibus extollit, quòd in publica cœna fictilibus uſus eſſet; additque, homines contentos iis eſſe oportere, quibus Dii etiam uterentur. Adſtrue ejuſdem illuſtre dictum de eodem Tuberone: *Aliorum aurum argentumque fractum eſt, & millies conflatum; at omnibus ſæculis Tuberonis fictilia durabunt.* De urnis, arciſque fictilibus, quæ condendis mortuis erant in uſu, vide Salmaſium ad Solinum. Apud Athenienſes Chorœbum primum omnium figlinam aperuiſſe tradit Plinius l. 7. 56. Regem verò Numam inſtituiſſe ſeptimum Collegium Figulorum affirmat idem Plinius l. 35. 12.

FILUM. Pro linea fabrorum accipit Varro.

FISTULA. In aquæductibus fiſtulæ plumbeæ aquas deducunt. *Cannella*, *Cannoncello*. Vide *Tubi*.

FISTUCA. Duplici gaudet ſignificatione. Nam inſtrumentum eſt, alto manubrio, latoque pede conſtans, aptum ad ſolidandas areas, & pavimenta. *Orſo*. Iterum eſt inſtrumentum anſatum, ferreis capitibus, trabalique caſtello innixum; quod in ſublime elatum, dejectumque, ſuoquo pondere in ſubjectum corpus irruens, illud profundè in terram adigit immittitque. Utile eſt ad palificationes, tam in aquoſis locis, quàm in ſicco extruendas. Subſternuntur hoc inſtrumento ædificiis pedamenta, quæ ſuperimpoſitas moles firmiſſimè ſuſtinent.

Becca;

Digitized by Google

Becca, *Battipalo*. De primo inſtrumento Plinius l. 32. 23. *Pavimenta feſtucis pavita*. De altero Cæſar Bell. Civ. l. 4. *Hæc cum machinationibus in flumen immiſerat, fiſtuciſque adegerat*.

FISTUCATIO. Actus exæquandi per fiſtucam; vel uſus fiſtucæ in ſolidandis areis, vel immittendis, ut ſupra, in terram palis. *Palafitta*.

FISTUCO, as. Fiſtuca æquo. Plin. l. 36. 25.

FISTUCATUM OPUS. Vide *Fiſtuca*.

FLORES. Ornamenta ſunt in epiſtyliis, & capitulis Corinthii, & Compoſiti ordinis. Quatuor in capitulis locari ſolent, juxta quatuor facies, ſeu latera abaci; ita ut ſinguli in medio emineant, aliquantulum inclinati ſupra volutarum helices, & mutuò obverſi. Antiquitus flos ad modulum roſæ inverſæ apponebatur pyramidi, quæ tholo ſuperſtruebatur, ut tradit Philander. In capitulis etiam Dorici ordinis roſa apponi ſolet in medio abaci, vel ſtellula, aut quid ſimile ad modum cruſtæ. *Fiore*, *Roſa*.

FOCULUS. Parvus focus. *Juven.* Sat. 3.

FOCUS. A fovendo dicitur. Pars ædium, ubi excitatur ignis, & aſſervatur. Caminus. Pro domo ſumitur paſſim, præſertim a Poetis. Certare pro aris & focis, Parœmia eſt a Cicerone uſurpata, pro labore, operaque adhibita ad defenſionem patriæ. Plurimi ſemper factum eſt apud Veteres, ut domi luceat focus, igniſque accendatur. Ea primum cura iis, qui in novas ædes, vel in diverſoria migrarent. Sic autem Ulyſſes apud Homerum:

Nunc ante omnia mi luceſcat in ædibus ignis.

Hinc vetus dictum:

Scilicet accenſo domus eſt ornatior igne.

Appone illud Tibulli:

Me mea paupertas vitæ traducat inerti,
Dum meus aſſiduo luceat igne focus.

In veteri nummo Vulcanus viſitur Laribus, Diis domeſticis,

ſticis, ſuperpoſitus, ad indicandum, quod apud Ethnicos pro certo habebatur, Lares Deos, focum, tamquam præcipuam ædium partem, ſibique ſingulari modo ſacram, & dicatam colere. Illuc pertinet illud Plauti in Aulul.

Hæc inferantur in focum noſtro Lari,
Ut fortunatas faciat gnatæ nuptias.

Ut iiſdem Diis honos haberetur, coronari ſolebant foci corona lanea. *Propertius* Eleg. 4. 6.

Terque focum circa laneus orbis eat.

Adde Ovid. Faſt. l. 3.

Decidit ante ſacros lanea vitta focos.

FODINÆ. Ex quibus aliquid effoditur, ut nomen enunciat. Occulti ſunt ſub terram certis in locis theſauri metallorum, marmorum, gemmarum, & ſalis. Vitæ neceſſitas, & ſolers mortalium induſtria in naturæ gremio tectas opes ad uſum, & lautitias vertit. Per effracta atque concerpta ejuſdem naturæ viſcera, in intima montium ferro itum eſt; & comparata a proſciſſis terræ matris venis vitæ ſubſidia. Atque utinam ſubſidia ſolum, & non impotenti etiam ambitioni, avaritiæque inexhauſta, ut ipſæ ſunt fodinæ, alimenta. Regionum ſyllabum, ubi largiore fœtura fodinæ proveniunt, vide apud Hofmannum.

FŒNICULARIUM, ii. Sic Calepinus mendosè pro *fœnicularius campus*. Legitur apud Cic. l. 12. Epiſt. 9. ad Attic. Turnebus ad fœnum refert; Calepinus ad locum ubi fœnum aſſervatur. Nihil horum ad Tullii verba. Ea ſic leguntur: *Scribe quæſo ...... utrum ipſe* (Cæſar) *in Fœnicularium, an in Campum Martium cogitet*. Expone cum oculatiſſimo Lipſio Elect. l. 2. 20. Scribe, utrum Cæſar in Campum Martium cogitet ad comitia, an in Hiſpaniam ad reliquias belli. Fœnicularius campus locus eſt in Hiſpania ſic appellatus a copia fœniculi, quod gignit: teſtis eſt Strabo l. 4. Cur autem fœnicularium campum pro Hiſpania poſuerit Cicero, non admodum quæ-

quærent eruditi, qui norunt cauſas, propter quas Cicero in Epiſtolis ad Atticum obſcurè multa, & per gryphos, aut petebat, aut nunciabat.

Fœnile. Locus, in quo aſſervatur fœnum.

Folia acanthi. Vide *Calathus*.

Fons. Licet propriè locus ſit, ubi aqua ſcatet, manatque, atque adeo funditur, ex quo fontis etymon; nihilominus etiam artefactæ aquarum aggregationes fontes appellantur. Et nativi quidem, ut numero carent, ita & ſumma varietate, & miris ubique naturæ proprietatibus, potiſſimùm verò medicamentarii, ſpectabiles ſunt. De his agit Plinius l. 2. 3. Qui ſunt arte elaborati, ſtatuis, columnis, alioque ornatu concinnati, fora urbana, & plateas illuſtrant. In viridariis porro virorum Principum imbricatis teſtulis, Telamonibus, Caryatibus, Hyppodelphinis, & Tritonum buccinis exornati ſalientes ex fiſtulis turbinatim aquas, & mirificos luſus ſpectantibus exhibent. Sed neque fontium perſpicuis aquis pepercit vetus ſuperſtitio, quin illos, Nymphis, Diiſque additis in cuſtodiam deturparet. Sortitiones etiam a fontibus petitas, præſertim a Græcis, eruditè demonſtrat Caſaubonus ex Pauſania in Laconicis. Id autem fiebat vel jactis calculis, animadvertendo numerandoque circulos in aquis ſuccedentes; vel quidpiam conjiciendo, obſervandoque, num ſupernataret, aut ſideret.

Forceps. Præmunitio, conſtans lateribus geminis angularibus, adverſus hoſtes protentis, alaque interius duplici in angulum coeunte. Propugnaculis caret, quo ſolum diſcernitur ab opere cornuto. Non ſolum in arcibus, verùm etiam ad viarum fauces, & pontium tranſitus conſtrui ſolet, ad prohibendum aditum, & infirmiora loca corroboranda. *Tenaglia*. Eſt etiam apud Vitruvium l. 10. 2. inſtrumentum duas habens regulas, ferreo axiculo, ſeu vecte tereti capitatoque nexas, facili compreſſu, reductoque divaricatis, uti res poſtulat, brachiis. Uſus eſt ad arripienda, & elevanda pondera.

Ideo

Ideo prædictæ regulæ, ſeu brachia, dentata interdum ſunt, & in extrema parte introrſus recurva & acuminata, ut firmiùs apprehendant. Alia tamen exemplaria pro forcipe, forficem habent apud Vitruvium.

FORI. Pro loco, ſive ſedili in ſpectaculis capto uſurpantur. *Livius* l. 1. *Ubi ſibi ſpectacula quiſque faceret, Fori appellati*. Sedilia in balneis foros etiam nuncupat Apulejus.

FORICA. Locus, ubi alvi onus dejicitur, ſed fere publicus. Item quæcumque immunditiarum publica receptacula, foricas appellamus, quoniam foras extrahuntur. *Fogna, Ceſſo*.

FORES. Martinius in hac voce, *rarus*, inquit, *ſingularis*. Non eſt, quod ad Apulejum confugiat: nam præter Ovidium, cujus adducit locum, *foris*, *forem*, *& fore*, dixerunt Plautus, Terentius, Cicero, Horatius. Fores dictæ, quòd foris aperirentur. Duplex portarum ædium uſus apud Veteres fuit. Antiquitus enim intro reſerando impellebantur; quo fiebat, ut porta ipſa intus reciperetur. Hac hodie forma noſtræ ſunt januæ. Sed cum frater Valerii Publicolæ, ut narrat Plutarchus, de Sabinis triumphaſſet, domus illi publicè ædificata eſt, cujus janua non, ut priſci fuit moris, introrſum trahendo, ſed in viam publicam pellendo aperiretur. Ex quo fiebat, ut porta Valerii adaperta, non intus, ut aliæ, reciperetur; ſed, in viam publicam explicata, ſe ad murorum latera extra reflecteret. Et hoc quidem modo omnes omnium ædium januæ apud Græcos pandebantur. Noſtris ad hanc formam januæ nullæ ſunt, ſi excipias, quæ in aditu templorum opponuntur interdum reductiles, & quæ ad tutiorem cuſtodiam viſuntur per vias in officinis fabrorum. Feneſtræ tamen ſunt alicubi ad eam formam, præſertim in villicis ædificiis; in quibus, præter interiores alias, adduntur aliæ foras explicandæ, congeminato ſcilicet adversùs ventorum impetus munimento. Ex his habes veram originem foris, &

Digitized by Google

ſorium. Januæ nimirum erant, quæ more Græcorum foras in viam publicam impellebantur. Quoniam verò ab hujus generis januis periculum erat ne earum impulſu pellerentur, qui aut forte præterirent, aut pro foribus ſtarent in via, ideo domo exituri ſolebant priùs pulſare intrinſecus propriarum ædium fores, eoque ſtrepitu admonere; qui foris erant, ut ſibi caverent, abſiſterentque, ne læderentur forium impulſu. Duo verò hic diſcenda ſe offerunt. Primum id januarum genus anulum ferreum, ſive cornicem, qua pulſantur januæ, introrſus habuiſſe, cujus percuſſione foras agentes monebantur, impellendas mox ab exituris fores. Alterum, quod ad diſcendum occurrit, exhibent Plautinæ, & Terentianæ Comœdiæ. In his fabulis numquam fere quiſquam egreditur domo, quin antea crepuiſſe fores dicantur. *Terent.*

——— *crepuit a Glicerio oſtium.*

Plaut. Aulul.

——— *at at foris crepuit; ſenex*
Eccum aurum effert foras.

Factum nempe id ex uſu hujuſmodi januarum, ut expoſui. At, inquies, ſi januæ ad hanc formam non erant in uſu apud Romanos, ſed honoris ergo Valerio præter communem morem conceſſæ, cur apud Latinos Comicos etiam a populo uſurpatas legimus? Occupavit reſponſionem huic quæſtioni Muretus Var. lect. l. 1. 18. nimirum propterea quòd Comœdiæ Latinorum converſæ fuerunt e Græcis; retentæque in iis Græcorum conſuetudines, mores, & inſtituta; ut nomine quidem, uſuque Romanæ linguæ, Togatæ dicerentur, paratu cætero a Græcorum Palliatis nihil differrent. Moris fuit præſertim apud Romanos coronari fores. Lauro coronatas triumphantium, palma Oratorum, qui rivales in cauſis ſuperaſſent, myrto in nuptiis, cupreſſo in funeribus, ex plurimis diſcimus Scriptorum teſtimoniis. Vide de hoc ritu Paſchalium de Coron. & Caſaubonum cum Salmaſio

maſio in Hiſt. Auguſta. Et quoniam Veterum ſuperſtitio in Diis comminiſcendis impensè licentioſam, & prodigam ſe exhibuit, ſingulis fere januarum partibus tutelares Deos attribuit, Forculum nempe foribus, Cardeam cardini, Limentinum limini, Janum verò omnibus omnium ædium januis. Vide S. Auguſtinum de Civit. Dei.

FORMA. Delineatio futuri operis: typus, modulus, vel ſignaculum archetypum, quo quidpiam, præſertim metallum, funditur, vel imprimitur. *Forma*, *Diſegno*, *Modello*. Item in ædificiis quod ſubſtruitur rudi opera ad ſtructuram ſuperinducendam: *Sordino*, *Centina*, *Armatura*. Item aquarum canales lignei, lateritii, plumbei, ſed præcipuè ſtructiles & concamerati; atque adeo earum receptacula, repagulis occluſa in emiſſariis, formæ appellantur. Italis etiam *Forme*. Singulari modo formas & formulas dicimus ſignacula archetypa, & matrices numiſmatum. Trebell. Poll. in Victor. *Cuſi ſunt ejus nummi, quorum hodieque forma extat apud Treviros*.

FORMULA. Parva forma. Apul.

FORNAX. Locus plerumque concameratus, ubi panis, calx, vitrum, ferrum, & ſimilia ſuccenduntur ad varios uſus artificum. Non dicitur a voce *fornix*, ut tradit Calepinus, ſed a Veterum voce *formus*, ſeu *forvus*, ſeu *forbus*, nam omnibus his modis legitur, quæ ſignificabant calidum, & fervidum, quod poſtea uſus recepit. Ejuſdem originis eſt, ut Nonius habet, furnus, quem Antiqui fornum dixerunt.

FORNICATIO. Conſtructio ad figuram fornicis. *Vitr*. 6. 2. *Parietum fornicatio*.

FORNICO. Fornicem, vel ad fornicis formam ædifico. Opus fornicatum. *Ad arco*, *a volta*. Plin. l. 16. c. 42.

FORNIX. Sine addito eſt arcus triumphalis. *Liv*. Dec. 4. 3. *De manubiis duos fornices in foro Boario &c. fecit*. Eſt etiam ſtructura concamerata ad inſtar hemicycli, cujus

figuræ erant arcus triumphales. *Volta a botte*. Uſurpatur tamen generatim pro quacumque ſtructura arcuata, & devexa in ſuprema parte ædificiorum, vel cubiculorum, quemadmodum ſunt fornices teſtudinati, conchati, lunati, ad formam hæmiſpherii, veli, cunei, navis, crucis, & ſimilium. Quodcumque demum arcuatum opus fornicem vocamus. Nam ſi terra eſt arcuatum, caverna appellatur; ſi opere cæmentitio, fornix. Ideo aptè Jovianus in Actio deducit hanc vocem a forando. Habet enim fornix aliquam ſemper cavitatem: ex quo concavum & convexum in eodem diſtinguimus. Sunt tamen qui fornicem a camera diſcernunt, quoniam camera totum tectum arcuatum, fornix unum arcum ſignificat: quo aptè trahunt locum Saluſtii in Catil. *Camera lapideis fornicibus juncta*.

FORUM. Locus plerumque amplus, victualibus, & mercibus diſtrahendis conſtitutus. A diverſo rerum venalium genere, appellatione multiplici enunciari ſolet. Forum olitorium, piſcarium, ſuarium, boarium, cupedinarium, *Mercato*. Item forum juriſdictionis exercitæ, & Civilium cauſarum diſceptandarum locus. *Curia*. In caſtramentatione Romana forum medium obtinebat locum; ex quo ad Caſtrorum portas patebat conſpectus. Forum à ferendo trahit Varro; quoniam tum res venales in forum mercatorium, tum lites & controverſiæ in forum judiciarium ferebantur. *In foro veritas*. Adagium erat, imo potius lex Athenienſium, qua cavebatur, ne quiſquam mentiri auderet in foro, ubi ſcilicet ex majori frequentia, & lucri aviditate facilior erat occaſio mentiendi. Item *Foro uti* apud Terentium vox eſt popularis, ſumpta à mercatoribus, qui rerum pretia laxant, vel intendunt, ut forum & Annona ferunt. Monet Parœmia boni conſulere præſentem rerum ſtatum. Huic affine illud: *Hoc Catone contenti ſimus*. Populari etiam voce dicimus *Juxta forum*, cum ſignificare volumus, captandum eſſe in rebus agendis opportuni temporis articulum. A mercatoribus

toribus trahitur, qui merces venales in forum non afferunt minus æquo annonæ tempore; cum verò deprehendunt intendi earum pretia, tunc eas advehunt. *Terent.* in Phorm. *Sciſti uti foro*.

FOSSA. In re munitoria ambitus eſt terræ excavatæ, ereċtæque in loricam. Alia arces ambit; cujuſmodi num ſiccas relinqui, num repleri aquis præſtet, Polemici Architecti variè deſtinant. Alia caſtrenſis, ut minor mole, ita minus ſtabilis, utpote tumultuaria ſæpe opera utcumque ducta, pro loci iniquitate, vel imperio neceſſitatis. Ea foſſatum etiam dicitur a Palladio. Vide *Fovea*.

FOSSATUM. Vide *Foſſa*.

FOSSULA. In recenti re munitoria, minor alia foſſula per flexum ducitur in foſſa majori; ſive ſicca ea ſit, ſive aquis oppleta. Sed minor perpetuò aquas continet. Præſidium eſt ad paulatim ſaltem detinendos oppugnatores, donec præſidiarii accurrant. *Cunetta*.

FOVEA. Aliæ ſunt, nullo artificio, ſub terram a natura adapertæ, & vocantur cavernæ: quod ſi admodum profundæ ſint, & terrorem ſpectantibus injiciant, barathrum & voragines nuncupantur. Quæ verò ſunt artefactæ, plurimos uſus habent: hujuſmodi ſunt ciſternæ, putei, ſepulcra, canales aquæ deductæ per montium viſcera. Sed in primis commemorandæ, quæ aperiuntur ex proſciſſione fluminum, ut vadari poſſint, vel ad alios, qui ſæpe contingunt, uſus, & commoda. Hujus generis ad Rhenum prope Belgium a Druſo adaperta legitur, quæ etiamnum foſſæ Druſianæ nomine circumfertur. Quod autem in fabulis decantatum eſt de Hercule, qui Acheloum Acarnaniæ fluvium privato certamine ſuperaverit, ex vera, ſi fas eſt credere, hiſtoria eſt, amnem intumeſcentem, & accolis pernicioſum, ab eodem in plures alveos inciſum & diviſum fuiſſe. Item in re hortenſi foveæ ſunt aquarum receptacula, ad uſum eaſdem deducendi in areas ad irrigandum. Quidni verò foveas dicamus etiam proſciſſiones terræ per cæmentarios

Digitized by Google

rios ad fundamenta ædificiorum ſtabilienda? Suplicii præterea genus fuiſſe conſtat, non ſolùm apud Veteres, ut ex Tacito de *Morib. Germ.*, & aliis liquet Scriptoribus; verùm etiam ex plurium SS. MM. cæde, qui foveis ſepulti, in iiſque lapidibus obruti, fortiſſimè interierunt. Pertinent inſuper ad genus venationis ferarum; quod etiamnum apud Arabes exerceri, produnt itinerariorum Scriptores. Qua verò ratione Leones etiam antiquitus capi ſolerent foveis, Xenophon de *Venat.* diſertè tradit. Effoſſo nimirum æquatoque circum foveæ ſolo, columnam ſtatuebant in medio, cui hœdum religabant: mox foveæ ſuperficiem tegebant ramalibus. Auditis hœdi clamoribus accurrebat proximè accubans leo famelicus; & in foveæ tranſitu, dejectis pondere ramalibus, decidens capiebatur. Id genus ſunt qui indicatum credant ab Ezechiele cap. 19. 9. ubi de leone capto hæc habet: *Et miſerunt eum in caveam*: *in catenis adduxerunt eum ad Regem Babylonis*. Addo pro coronide, non ſolùm alveos fluviorum, ſed mare ipſum, quàm latiſſimè patet, immenſam quamdam, & immetatam foveam eſſe. Et Italico quidem ſolo proſpexit amanter natura, adapertis duplicis maris hinc illinc foveis, & elatis alpium jugis, tamquam propugnaculis, in munimentum. De fovea munitoria. Vide *Foſſa*.

FRICATIO, onis. *Vitr.* l. 7. 6. *Quibus diligenti fricatione levigatis &c.* &

FRICATURA. *Vitr.* l. 7. 1. *Super fricaturam incernatur marmor*. Et.

FRICATUS, us. Plinius. Actus poliendi & levigandi ſtructuras. Parietes puriore calce, manu extrema, ſic exæquantur. In pavimentis autem extantes teſſeræ, trigona, & quadrata, idoneis inſtrumentis comprimendo rediguntur ad planum. *Spianare*.

FRICO, as. Expolio, levigo.

FRIGIDA LAVATIO. Locus in balneis, ubi frigidæ aquæ ahena, & lavacra aderant. Piſcina etiam Lampridio, & ba-

Digitized by Google

baptiſterium Plinio appellatus. Diverſus erat locus frigidarium, ubi non lavabantur; nec ulla ibi erant ad hunc uſum vaſa. Porticus autem erat Frigidarium, vel ſimile ambulacrum, in eorum gratiam fabricatum, quibus egreſſis e Calidariis, vel Tepidariis, libero, frigidoque aere opus erat.

FRIGIDARIUM. Vide *Balneæ*, *& frigida lavatio*.

FRONS. Vide *Facies*.

FRONTATI LATERES. Vide *Diatoni*.

FRONTONES. Dicuntur in ædificiis partes illæ, quæ imperfectæ interruptæque conſulto relinquuntur, ut indicetur perficiendum eſſe opus eodem ordine, cum aderit copia faciendi ſumptus, aut obſtacula interpoſita fuerint amota. *Morſe*. Vitalis *Lexic. Mathem.*

FULCIMEN. Ovid. 6. Faſt. &

FULCIMENTUM. Solin. 33. &

FULCRUM. Juven. Sat. 6. &

FULMENTUM. *Varro* &

FULMEN. *Manilius* l. 2. Aſtron.

Imaque ſubmerſi contingens fulmina mundi.

Quam fulminis notionem non animadverterunt Lexicarii etiam noviſſimè excuſi; ſed obſervavit Scaliger in notis ad Manilium. Suſtentaculum. *Soſtegno*, *Puntello*.

FULCIO. Suſtento.

FUMARIUM. Pars ædium, ubi vina, fumo & igne medicata, celeriùs matureſcunt, & ætatem ferunt, ut tradit Columella. *Martialis*.

Improbo Maſſiliæ quidquid fumaria cogunt;
Accipit ætatem quiſquis ab igne cadus.

Perperam quidam Fumarium confundunt cum infumibulo, quo notatur ſtructura, excavata in ipſo pariete, productaque ad tecti faſtigium, cum idoneo ſpiramento ad fumum e camino foras ejiciendum.

FUNALE. Non ſolùm eſt funis, cera, vel pice illitus. *Torcia*, ſed funis ipſa. *Liv.* l. 42. 65. *Funda media duo funalia imparia habebat.*

FUN-

Digitized by Google

FUNDAMEN. Virg. 4. Georg. &

FUNDAMENTUM. Solum, ſupra quod quid ſtruitur, lapidibus, & arenato præjactis. Fundationes ædificiorum pro ſoli diverſitate diverſum in modum ſunt ſtatuendæ. Si montanum erit ſolum, non erit admodum laborandum in ſuffoſſione, ſatis firmum molitioni præſidium & firmitatem aſperis jugoſiſque ſaxis ſuppeditante natura. In univerſum effodi ſolum oportet craſſiore ambitu, & ſubſtructione ampliore, quàm ſint futuri ſubſtruendi parietes. Idem præfoſſus ambitus quàm ſolidiſſima ſtructura lapidibus, arenato, & ſuperinjecta ad validiorem coagmentationem aqua, confarciendus & exaturandus. Quod ſi ſolum nactus fueris congeſtitium, vel paluſtre, adhibendæ ſunt colligationes trabium cum ſublicis, & longariis uſtulatis altè defixis. Exſanienda inſuper, quantum fieri poteſt, terra emota, & uliginoſa exſiccanda; mox calcandum quàm denſiſſimè ſolum, & naturæ vitium ea arte ſupplendum. Poſtremò ſi in ſtagnis & æſtuariis, atque adeo in mari portus, aliaque ædificia attolli contingat, utendum eſt arcis validè nexis, dejectiſque in profundum, ut diximus in tit. *Arca*. Vide hìc etiam tit. *Fiſtuca* & *Palatio*, & in Lexico Militari tit. *Phalanga*. Conſule in primis Magiſtrum l. 1. 5. l. 3. 3.

FUNDATIO. Actus fundandi. Vitruvius. *Fundationes eorum operum fieri debent craſſiores*.

FUNDO, as. *Virgilius*. Fundamentum induco.

FUNDO, is. Liquefacio. De metallis dicitur. *Plinius*.

FUNDITUS. Dicitur de iis, quæ a fundamentis evertuntur; neutiquam verò de iis, quæ extruuntur: pro qua notione imperitè quidam afferunt locum Spartiani in Hadriano: *Stipitibus magnis, in modum muralis ſepis, funditus jactis, atque connexis, Barbaros ſuperavit*. Ubi licèt de ſtructuris ſit ſermo, adverbium tamen *funditus* non ſignificat a fundamentis, ſed in fundamentis, vel *penitus*; qua acceptione dixit *Lucretius*,

——— *delicias quoque vitæ funditus omnes*,

Car-

Digitized by Google

Carmina, picturas, & dædala ſigna polire
Uſus, & impigræ ſimul experientia mentis,
Paulatim docuit.

FUNIS. Vinculum ex cannabe, vel ſimili materia contortum. Præcipuum eſt in re machinaria momentum. Funis reſte major craſſiorque. Ideo machinarum & navium ſunt funes; reſtes ad his minora deſerviunt. A miniſterio appellationes varias ſortiuntur. Funes tractorii, ductarii, antarii &c. *Funis nimium tenſus abrumpitur*. Adagium ex re ædificatoria, quo uſus eſt Lucianus. Iis congruit, qui ad lucrum plus ſatis intenti, univerſæ rei jacturam faciunt. Nectuntur funes e ſparto, quod eſt genus herbæ, magna apud Hiſpanos copia creſcentis; ibique primùm cognitæ a Romanis per occaſionem belli Punici. Juncis, & palmis convolutos habemus apud Columellam 12. 32. *Faſciculos tomice palmea, & juncea ligato*. Sed cannabe potiſſimùm necti atque torqueri uſus docet. Tomices impoliti rudeſque ſunt funes. Rudentes dicimus funes nauticos, quoniam vento concuſſi rudere videntur; quæ vox a rudentibus funibus ad aſinorum clamorem inconditum tranſiit. Fides ſit penes Nonium, a quo id refertur.

FUNICULUS. Parvus funis. *Cordella*. *Funiculum ad lapidem*. Parœmia eſt ſumpta ab Architectis, & Fabris, qui inter ſtruendum non credunt ſuis oculis; ſed lapidum æqualitatem ad perpendiculum, ideſt funiculum plumbo appenſum, explorant. Uſurpatur ad exactam diligentiam ſignificandam.

FUNICULUS MINIATUS. Colore rubro tinctus funiculus, quo Fabri utuntur ad ligna, atque adeo ad marmora in directum præſignanda, ne ſerræ uſus exerret. *Fuge funiculum miniatum*: Adagium eſt ex Ariſtophane. In eos dicitur, qui non ex animo, ſed ne in mulctam incidant, honeſta & imperata faciunt. Magiſtratus Athenienſis, ut frequens populus ad concionem accederet, duos inſtituit miniſtros publicos, qui funiculo miniato illum

tingerent, & in concionem agerent. Studebat verò quiſque fugere funiculum, ne colore rubro notatus multam ſolveret, niſi adeſſet.

FULTURA. Horat. l. 2. ſat. 3. In re ædificatoria molitio eſt, & præparatio rudis ex contextu trabium, vel aſſerum, permiſta interdum ſtructura terrea, ad arcus præcipuè & fornices ſuperinducendos: quæ omnia, confirmato ædificio, abjiciuntur. *Armatura*, *Sordino*, *Centina*. In mechanicis eſt, quod ad pondus elevandum vecti ſubjicitur. *Sottoleva*.

FURNUS. Caveola fornicata, cum oſtiolo & tegmine reductili a fronte, ad uſum excoquendi panis, omniſque generis obſonii. Differt a clibano, qui potius eſt vas teſtaceum, vel æneum, mobile, cum ejuſdem materiæ operculo. Primus clibani uſus fuit ad panem excoquendum, quem ideo clibanarium vocabant. Quod cum minus feliciter caderet, uſurpari cepit coquendis obſoniis, quæ tamquam xenia ad amicos mittebantur. Mirum eſt, quod habemus ex Ariſtophane in Acharnenſibus, ſolidos in clibano boves excoctos fuiſſe: adſcribo Poetæ verba:

——— deinde præbuit
E clibano totos boves: ecquis rogo
Conſpexit unquam clibano coctos boves?

FUSORIA ARS. Quæ ex metallis, igne liquefactis, artefacta, potiſſimùm verò ſtatuas conflat. Differt a ſtatuaria, quæ ſolidam æris, vel marmoris nacta materiam, eamdem ſcalpro, & malleo ſubigit.

FUSURA. Plin. l. 3. 6. Liquefactio. De metallis dicitur.

GALLI-

Digitized by Google

G

GALLINARIUM. Pars ædium, ubi detinentur & aluntur gallinæ, & omnis fere generis altilia. Locum illis, qui hibernum ſpectet Orientem, aſſignat Columella l. 8. 3. *Pollajo*.

GAMMATUS, a, um. Gammati lapides. Gammati termini erant, quibus incidi ſolebat litera Græcorum *Gamma*; vel qui ejuſdem literæ ſimilitudinem referrent. *Scriptores finium regundorum*.

GEMMA. Lapillus pellucidus, magni pretii, molis non magnæ. Scaliger propriè cenſet de oculo vitis dici, translatè de lapillis. Ludit operam Plinius, dum laborioſa indagine gemmarum uſum & originem a Polycrate Sami tyranno apud Græcos; a victoria Pontica Pompeji Magni apud Romanos accerſit. Conſtat e ſacris Paginis Exod. 28. Lapillis duodecim pretioſis Deum imperaſſe, ut ſummi Sacerdotis ſacrum Pectorale exornaretur. Quod autem ad Græcos, & Romanos attinet, non poteſt ambigi, primum potiſſimumque gemmarum uſum anulos ſignatorios habuiſſe. Inſertæ ad geſtandum gemmæ, ovali fere figura, ſignatæque extantibus, vel depreſſis, & excavatis icunculis. Hinc Ectypa apud Græcos appellata, quæ eminent ſigilla, Entypa, quæ ſulcis inciſa interiùs recidunt. Hujus generis gemmæ grandiuſculæ, quemadmodum propter raritatem ſummo in pretio meritò habentur, ſic ſtudio ſingulari aſſervantur in Patriciorum ædibus. Proficiunt etiam non parum ad notionem veterum hiſtoriarum, memoriaſque exigendas eruditæ antiquitatis; ad quem profectò modum uſumque priſca numiſmata a vetuſtarum rerum ſtudioſis avidè conquiruntur. Inſculpti autem erant ejuſmodi lapilli non

Digitized by Google

ſolùm figuris, quæ priſcorum temporum fabulas, vel hiſtorias repræſentarent, verùm etiam ſimulacris virorum illuſtrium, atque adeo Deorum imaginibus, a quibus juvari ſe putarent: quo pacto armatam Venerem geſtaſſe in anulo Julium Cæſarem legimus apud Dionem. Eos lapillos Cimelia appellamus. *Camei*. Translatus poſtea gemmarum uſus ad pocula, *Propert.*

Nec bibit in gemma divite noſtra ſitis.

Item ad ornatum certarum corporis partium, quas ita complexus eſt *Manilius*:

Perque caput ducti lapides, per colla, manuſque.

A corpore ad tunicas, veſteſque gemmis & margaritis illuſtrandas progreſſa eſt ambitio. Nam pudor eſt referre importunam abſurdamque Veterum conſuetudinem eaſdem vel calceis inſerendi, calcandique pulcherrimos naturæ partus, quod de Carino, Heliogabalo, & aliis commemorant Hiſtoriæ Auguſtæ Scriptores. Poſtremò morem abſonum effrenati faſtus tam impudenti dedecoris nota fœminæ arripuerunt, ut neceſſe fuerit Cæſares ad deridenda, ut Lampridius vocat, Senatuſconſulta, & Leges Matronales decernere, quibus ea luxus barbarici oſtenta inhiberentur; & a luto viarum, ac ſordibus redimerentur uniones margaritæque, geſtatæ in crepidarum obſtragulis & ſocculis fœminarum.

GAZOPHILACIUM. Latinè reddas locum, ubi opes cuſtodiuntur. Eſt enim vox hybrida, coaleſcens ex altera Perſica, & altera Græcanica. *Erario*, *Teſoreria*.

GENICULUS. Propriè parvum genu. In aquæductibus dicitur, cum canalis torquetur, & flectitur. *Vitr.* l. 8. 7. *Si non venter in vallibus factus fuerit; nec ſubſtructum ad libram factum, ſed erit geniculus, erumpet, & diſſolvet fiſtularum commiſſuras.*

GEOMETRIA. Scientia dimetiendi, quæ baſis eſt, & fundamentum totius Architecturæ. Ortum habuiſſe perhibetur a Philoſophis Ægyptiis, qui agrorum fines terminoſque, ab excreſcente Nilo confuſos, per lineas ad ſtatum

tum

tum priſtinum reddiderunt. Idcirco a terrà dimetienda eidem nomen ex Græco inditum. Cæterùm de facultate, non terras ſolùm, ſed aquas, & ipſos cæleſtes orbes certiſſimis præſcriptionibus dimetiente uſurpatur. Eam in primis facultatem pernoſcere, & firmiſſimam habere regulam oportere Architectos, Vitruvius merito tradit. A Geometricis dimenſionibus, quæ lineis perficiuntur, dicimus *Inſiſtere lineis*. Quod eſt urgere propoſitum; cui contrarium eſt, *excidere a lineis*, quod eſt, aberrare ab inſtituto.

GESTATIO. Non ſolùm eſt geſtandi actus, ſed locus, quo quiſpiam geſtatur. Geſtationes itaque loca erant, in quæ Domini a ſervis geſtabantur. Id quandoque ob voluptatem, interdum morbi allevandi gratia fiebat. Loca autem fuiſſe aeris benignitate, & amœnitate læta atque ſalubria, conſtat ex Plinio: *Geſtatio buxo, aut rore marino, ubi deficit buxus, ambitur*. Obſervabatur fere in geſtando paſſuum numerus, quem in deambulando Ciceronem ſervaſſe teſtatur Plutarchus in ejus vita. Idem liquet ex antiqua Inſcript. *IN HOC. POMARIO. GESTATIONIS. PER. CIRCUITUM. ITUM. ET. REDITUM. QUINQUIENS. EFFICIT. PASSUS. MILLE*.. Geſtabantur autem lectica, vehiculo, ſella, cathedra, & ſimilibus. Hinc ſervi cathedrarii, & ſellæ geſtatoriæ, commemoratæ ſæpius a Scriptoribus.

GLAREA. Lapidoſæ, ſcrupoſæque terræ genus, eadem fere littoralis & fluviatica. Adhiberi ſolet ad ambulationes ſubdiales, viaſque publicas ſternendas, & marginandas. *Ghiara*. Idem præſtant làpilli, qui ad modum aſſularum terra concreti, effodiuntur e montibus ſiliceis. *Scagliola*. Q. Fulvius Flaccus, & A. Poſthumius Albinus primi apud Romanos locarunt vias publicas, in urbe quidem ſilice, extra Urbem glarea exæquandas.

GLUTINUM. *Plinius*. Tenax coagulum, quod ex multiplici fit materia, ad conjungenda diviſa corpora. Uſus eſt

eſt ad artefacta diverſi generis. Cum cæmentarii ſupremam manum ſtructuris imponunt, floridiorem calcem glutino miſcent, ad majorem firmitatem inducti tectorii, vel albarii.

GNOMON, onis. Inſtrumentum rectangulum in literæ *A* formam abiens, notiore vocabulo Libella nuncupatum, quo res librantur, ut cadant in planum ad perpendiculum, & diſtantiæ etiam, altitudines, & declinationes ſolis, ac ſiderum, capiuntur.

GRADATIO. Vitr. l. 5. 3. Ut a gradiendo fit gradus, ſic a gradu fit gradatio. Diſpoſitio eſt ſedilium in theatris: non quòd gradibus conſtarent, ut Lipſius diligenter obſervat; ſed quoniam ad graduum ſimilitudinem quædam eſſent conſcenſiones, aptæ ad conſidendum, ſpectandumque; ea ſymmetria diſpoſitæ, ut priores poſterioribus impedimento non eſſent. Senſim quippe clivoſum areæ planum attollebatur, & ducebatur in gyrum, ut infinitam multitudinem capere poſſet; aditumque liberè ſpectandi præſtare ſingulis.

GRADUS. Quibus ſcalæ conſtant. *Gradi*, *Scaglioni*. Pars templi editior ante Altare, & potius ipſa acclivitas gradibus conſtans; item aſcenſus ad podiolum, ſive Ambo, ex quo ſermo habebatur ad populum. *Sidonius*:

Seu te conſpicuis gradibus venerabilis aræ
Concionaturum plebs ſedula circumſiſtit.

Vide *Ambo*, & *Scala*.

GRAMMATOPHYLACIUM. Locus, ubi tabulæ, ſcripturæ, & monumenta publica vel privata aſſervantur. *Archivio*. *Segreteria*.

GRANARIUM. Ubi detinentur fruges omnis generis. Fixa & ſtabilia Urbes habent, penſilia verò, & mobilia, tignis nimirum ſuffulta, non modò in caſtrorum ſtativis delaudat Varro de R. R., ſed in prædiis etiam locata commemorat Scævola in Pandectis. *Titius horreum frumentarium novum, ex tabulis ligneis factum, mobile, in Seji prædio poſuit*. Ad Septentrionem locari debent;

nam

nam calor tineas, curguliones, & id genus beſtiolas procreat. E contrario flatus Aquilonij incorruptas præſtant fruges. Alicubi ſecuriùs diſponuntur in præfoſſis ſub terram ſcrobibus. Perduraſſe in iis frumentum ad annos quinquaginta, milium ſupra centenos, fabam verò Pyrrho Rege uſque ad Piraticum bellum Magni Pompeji, author eſt Varro.

GRANUM MARMOREUM. Vitr. l. 7. 3. Marmor detritum, ex quo tectorii genus quoddam inducitur. Barbarus reddit *Granito*.

GRAPHICOTEROS, a, um. *Vitr.* l. 4. 4. *Eminentes expreſſiones Graphicoteram efficient in aſpectu delineationem*. Dicitur de ſpecie venuſta ex lineis rectè ductis.

GRAPHIS, idis. Peritia ducendi lineas, quam Architecto neceſſariam tradit *Vitruvius* l. 1. 1. *Graphidos ſcientiam habere* (oportet) *quo faciliùs exemplaribus pictis, quam velit operis ſpeciem deformare valeat*.

GRUS. Machina arrectaria geminis uncis, & longiore collo ad formam gruis, conſtans. Vitruvius l. 10. 19. a Diade, Alexandri Magni Machinario, inventam tradit. Confundi ſolet cum ciconia, manu ferrea, corvo demolitore, arpagone, & corace. Eas machinas, quoniam arreptitiæ ſunt, & ad navalia potius organa, quàm ad ædificatoria pertinent, commemoraſſe hìc ſufficiat. Eaſdem in Lexico Militari prolixè deſcribimus.

GULA. Ab Architectis ſumitur pro Cymatio, quod infra ſupraque coronam in epiſtyliis apponitur. *Gola dritta*, *Gola roverſcia*. Vide *Cymatium*.

GURGUSTIUM. Anguſta, &, ut Servius ſcribit, obſcura habitatio, ac prope latibulum. A curculione vermiculo dicitur, qui in terræ caveolis deliteſcit.

GURGUSTIOLUM. Parvum gurguſtium. *Apulejus*.

GUTTÆ, & GUTTULÆ. Vitr. l. 4. 3. Ornamenta ſunt in epiſtyliis Doricis. E triglyphorum cavis decidunt, ad aqueæ guttæ figuram, numero ut plurimum ſex adjiciuntur. Aliud guttarum genus ſunt, quæ his ad perpendiculum

Digitized by Google

culum reſpondent ſub ima corona, numero fere decem & octo, ſed diverſæ figuræ: nam hæ coni, ſive metæ imaginem referunt. Pro his guttis alii campanulas prominentibus malleis, alii pyra, mala Punica, & his ſimilia affigunt; ut cuique innovandi ſtudium, aut familiarum ſtemmatibus alludendi voluntas ſuggerit. *Goccie*, *Gocciole*, *Campanelle*.

GYMNASIUM. Notione Græca eſt exercitatio nudorum, ac proinde propriè Palæſtra, ubi ad luctationem nudi ſe exercebant Athletæ. Sed quoniam eadem loca ad exercitationes literarias poſtea frequentarunt Philoſophi, Gymnaſium pro ſchola ſeu ludo litterario dici cœptum. Poſt Socratis mortem clauſa fuiſſe Athenis Gymnaſia, quòd ejuſdem damnationis Cives pœnituiſſet, tradit Laertius. Hieronymus Mercurialis de Art. Gymn. duplicem exhibet Gymnaſii ichnographiam, ex Vitruvio, aliiſque Græcorum monumentis depromptam. Vide *Athenæum*.

GYNÆCEUM. Pars ædium ſecretior, & ſolis addicta fœminis, ut viris Androncs. Supremas domorum contignationes, incolebant, ut eo remotiores ab acceſſu virorum degerent. Honeſtis autem moribus educabant non puellas modò, quæ lanificio exercebantur, donec nuberent, verùm etiam puerulos ætatis primulæ. Præerant tamen illis Inſpectores, gravitate eximia, & probitate viri, ad id publicè deſignati. Per poſteriora tempora quo pacto a prima inſtitutione deſciverint Gynæcea, alii tradiderunt.

GYPSUM. Quod, calci ſimile, fit ex combuſtis lapidibus. Ex ea materia plaſtico magiſterio ſtatuæ, & ſigilla, atque eorum deformationes conficiuntur, in experimentum figurarum ex ære, vel marmore. Ex gypſo cocto ex lapidibus fieri lapides ſpeculares, quibus olim feneſtræ ornabantur, obſervat Anaſtaſius in vitis Pontificum. Venales olim ſervi gypſatis pedibus dignoſcebantur. *Juvenalis*:

Nu-

Digitized by Google

Nuper in hanc urbem pedibus qui venerat albis.
Lethalem eſſe cibi comeſtionem gypſo permixti, exitio ſuo non paucos comprobaſſe proditum eſt. Sabellicus Ænnead. l. 4. 9. refert, Emanuelem Græcum Imperatorem farina eodem permiſta Conradi III. exercitum non exigua parte peſſumdediſſe.

H

Habenæ. In machinis dicuntur funes, quibus aguntur, a ſimilitudine habenæ equinæ.

Habitaculum. Locus ad habitandum.

Habitatio. Non ſolùm actus habitandi, ſed etiam locus. *Columella* l. 1. 6. *Villico intra januam fiat habitatio.*

Hamatæ tegulæ. Vide *Imbrex*.

Hara. Ubi ſues ſtabulum habent.

Harpáginetuli. Vitr. l. 7. 5. Hoc etiam vocabulum Magiſtri Interpretes mirificè torquet. Qui exponunt genus harpagonum, egregiè hallucinantur. Loquitur ibi Vitruvius de columnis ſtriatis, quæ non toto angiportu, ſed totis Perſicis paraſangis differunt ab harpagonibus, qui ſunt machinæ navales arreptitiæ. Philander exponit genus ornamenti; quod eſt verba facere. Barbarus, ut ſæpe aſſolet, nihil movet. Baldus provocat primùm ad ariolum aliquem in vocabulo inexplicabili: mox, quaſi meliore genio afflatus, corruptum locum affirmat, legitque harpagones mituli, vel mytuli, qui piſces ſunt ex genere concharum; quoniam ornamenta illa ſint ſtriata, ut conchæ, & recurva, ſive adunca, ut harpagones. Sinas. Lector me cum Dante concludere.

Meſſo t'ho innanzi, omai per te ti ciba.
Elige ex his gloſſematis quod magis arridet.

Digitized by Google

HELICES. Sic appellat Vitruvius l. 3. 1. volutas cauliculorum, quæ molliter ſub abaco intorquentur in capitulo Ordinis Corinthii: & alias minores, majores alias dicit, ab earum diſpoſitione. Inter achanti folia ſurgunt ea ornamenta. *Volute Viticci*. Sunt porro Helices machinæ tractoriæ, quarum inventorem fuiſſe Archimedem tradunt Athenæus, & Favorinus apud Gellium. Alii cochleæ ſimile inſtrumentum, ergatæ genus alii, quod magis probaverim, fuiſſe ſtatuunt.

HELIOCAMINUS. Porticus eſt, podium, vel ſolarium in aprico ſitum, ad calorem Solis excipiendum. Plin. Epiſt. l. 2. 7.

HEMICYCLUS. Semicirculus. Figura, a qua appellatur locus ad conveniendum in conclavi, vel porticu. *Cic.* de Amic. 1. *Memini domi in hemicyclo ſedentem in eum ſermonem incidere*. In univerſum crebrò locum habet in ædificiis, præſertim ubi de theatris, vel templis agitur.

HEMITRIGLYPHI. Pars dimidia triglyphi. Vitr. l. 4. 3.

HEPTAPHONOS. Olympiæ porticus, ubi ſepties echo reddebatur. Plin. l. 36. 10.

HERMATENA, æ. Notione Græca ſtatua eſt Minervam, & Mercurium ſimul referens. Ejuſmodi in Gymnaſiis proponi conſueviſſe, indicat Cicero ad Attic. Eo invento indicabatur, eloquentiam, & Philoſophiam eſſe jungendas. Plurimis id argumentis demonſtrat Cicero *de Orat. l.* 3. idque a Græcis obſervatum aſſeverat his verbis. *Idem erant & ſapienter ſentiendi, & ornatè dicendi auctores*.

HERMÆ. Mercurii ſunt ſtatuæ, qui Græcis Herma, & Hermes. Exculpi ſolent in ligno, vel marmore, ſed abeunte in metæ formam trunco, ſine manibus, pedibuſque. Sic ferunt exprimi ad ſignificandum, viros Mercuriales, nempe literatos, mente & ingenio, non lacertis, vel exercitatione manuum, pedumque eſſe æſtimandos. Eriguntur hujus generis ſtatuæ in frontibus ædificiorum, præſertim agreſtium, & frequentiùs in viridariorum

riorum xyſtis, & fontibus. Pythagoræ dictum eſt, ut refert Apulejus Apolog. non ex omni ligno Hermas eſſe fingendos. Neque enim qui Satyris, Fauniſque, aliiſque Diis ſilveſtribus rudibuſque referendis apti ſunt trunci, iiſdem formandus Mercurius, ſed è plantis, quæ nobiliores ſint, magiſque elegantes. Docet Pythagoræ effatum, non omnibus diſciplinis vel artibus accommodata eſſe omnium ingenia.

HERMERACLAS. Simulacrum quo Mercurius ſimul & Hercules repræſentabantur. Notatum ea ſtatua voluerunt, eloquentiam & fortitudinem ſociandas eſſe. Seu potius, eloquentiæ vim ſummam, & validiſſimam eſſe. Idem exprimit Hercules ille Gallicus apud Lucianum, qui clava, & leonis exuviis armatus potentiam & fortitudinem; catellis aureis, quæ ex ejus lingua prominebant, ſermonis efficaciam, qua vinciebat animos, ſignificabat.

HEXACLINON. Diſcubitorium, vel cœnatio ſex lectos continens. Martial. l. 9. 6.

HEXASTYLOS. Sex columnas habens. Vitr. l. 3. 2.

HEXEMPEDA. Menſura ſex pedum.

HIBERNACULA. Caſtrenſem hanc vocem & militarem ad uſum domeſticum Vitruvius tranſtulit. Hibernacula apud Græcos pars erant domus, in qua hiberno tempore diverſabantur. *Stanze d'inverno*.

HIPPODROMUS. Locus, ubi equi exercentur ad curſum. *Cavallerizza*. Martial. l. 12.

HIRUNDO. Non munitoria ſolùm & militaris, ſed urbana etiam Architectura, ut tradit Plinius l. 10. 33. ab hirundine primùm demonſtrata eſt. Ut nidum pullis comparet ſolers avicula, flocculos feſtuculaſque imbricatim nectit, lutoque apportato interit. Tum adnitente roſtello cancellos diſpertit; opuſque pari ingenio atque munditia perficit. Ab hoc feſtucularum ſtramento, ab hoc certis diviſuris, ſupra quàm cuiquam credibile eſt, amuſſitato opere, arenam foſſilem calcemque aqua diluere; eaque intrita lateres, lapideſque ſcitè dimenſos ad-

ſtringere didicimus; poſtremò muris trulliſſatis, inductoque tectorio, ſic excitare ædificia, ut altitudo ad perpendiculum, latitudo ad lineam, anguli ad normam ordinatim aptèque reſpondeant.

HOLOSPHYRATOS, aliis Holoſphyros. Totum ex ære, ſolidum, & malleo ductum. *Bronzo lavorato*; cui opponitur conflatum, & fuſile. *Di getto*. Originem ſtatuæ non conflatæ, ſed malleo ductæ, ſic exponit *Plinius* l. 23. 4. *Aurea ſtatua, prima omnium, nulla inanitate, & antequam ex ære aliqua illo modo fieret, quem vocant Holoſpyraton, in templo Anaitidis poſita dicitur.*

HOMOTONUS, a, um. Vide *Anatonus*.

HORREUM. Quaſi horridum dicimus ab horrore ariſtarum. Nam Veteres ſpicis incluſas fruges condebant. Licèt fere accipiatur pro cella, ubi frumenta aſſervantur, uſurpatur tamen interdum etiam pro aliarum rerum repoſitorio. Pro bibliotheca Seneca, pro cella vinaria Horatius poſuit, pro conditorio rerum pretioſarum Apulejus, & Juriſconſulti. Ex horreo dari dicitur, quod prolixè & affatim datur: pleniùs quippe & abundantiùs quidpiam ex horreo, quàm ex chœnice, vel alia menſura depromitur. Horrea, non ſecus ac fœnilia, ſeparatim ab aliis ædificiis, ut ab incendio aſſerantur, eſſe ædificanda, monet Vitruvius l. 6. 8. *Granajo*.

HORREOLUM. Parvum horreum. Valer. Max.

HORTUS. Sic appellatur, authore Feſto, quoniam inde orti evocabantur, qui arma caperent. Ut ſcribit Plinius l. 19. 4. In duodecim tabulis nuſquam legitur villa, ſed in ea ſignificatione ſemper hortus nominatur. Propriè hortus dicitur, ubi olera, & herbæ naſcuntur, diſpoſitis conſitæ areolarum pulvillis. Juxta hanc acceptionem horti plerumque extra urbem, aut certè ſuburbanis in locis, rivorum irrigatione excoluntur. *Horat.*

——— *irriguo nihil eſt dilutius horto.*

Intra mœnia raró ſolent admitti; nam udi aquarum derivationibus, & fimo ſtercorati, noxium aerem creare ædi-

Digitized by Google

ædificiis paſſim cenſentur. Horti verò numero plurativo appellantur, qui non herbis, & oleribus ad quæſtum, & victum herbaceum, ſed arboribus ad voluptatem ſunt conſiti. Ex hoc genere ſummam celebritatem obtinuerunt apud Antiquos horti Heſperidum, & Alcinoi apud exteros, Pompejani, & Lucullæi apud Romanos, quos ſtatuis etiam ſtructuriſque nobiliſſimis ornatos fuiſſe conſtat. Præcipuum præterea in modum laudantur horti penſiles Babylonii, ſive illos Cyrus, ſive, ut alii malunt, Semiramis condiderit. Penſiles autem dicuntur, qui ſupra columnarum porticus, vel ſupra muros urbium extruuntur. Primus omnium Epicurus, ſi Plinio credimus, hortos in urbem induxit: eos pro ſchola habuiſſe tradit Laertius in ejus vita: idem referunt Cicero, aliique. *Propertius*.

Illic vel ſtudiis animum emendare Platonis
Incipiam, aut hortis, docte Epicure, tuis:

Atque hinc poſtremo factum, ut horti non in urbium ſolùm, ſed in ædium etiam partem venirent. Erant quoque horti, præſertim apud Judæos, ſepulturæ aſſignati. Ex iis Chriſto Domino conſecratus in ſepulcrum hortus legitur Joan. 19. 41. *Erat autem in loco, ubi crucifixus eſt, hortus, & in horto monumentum novum, in quo nondum quiſquam poſitus erat. Ibi ergo propter Paraſceven Judæorum, quia juxta erat monumentum, poſuerunt Jeſum*.

HYALOSTRATON. Opus ex lapillis ſectilibus, cruſtulis, vel teſſellis vitreis verſicoloribus. Conficiuntur inde in parietibus ornamenta, quæ picturatas tabulas referunt: Vide *Abacus*. Philander non bene hæc opera confundit cum Lithoſtrotis, quæ in ſolis pavimentis locum habent.

HYPETRA. Latinè ſub æthere. Loca ſunt aperta & ſubdialia. Dicuntur primò de templis. Et antiquitus quidem nullum templis locum Ethnici deſignabant; rem abſonam, indignamque exiſtimantes, concludi alicubi Numinum ma-

majeſtatem. Sed poſtquam attolli templorum ædificia religionis ergo illis perſuaſum eſt, diverſum in modum pro Deorum diverſitate eadem extolli cæperunt. Nonnullis aperta, & ſine tecto extructa, quæ *Vitruvius* l. 1. 2. ſic recenſet: *Jovi*, *Fulguri*, *&* *Cælo*, *&* *Soli*, *&* *Lunæ ædificia ſub divo*, *hypætraque conſtituuntur*. Ad eandem formam ſub udo aere, & adaperta Herculi dicabantur; ut oſtenderent, excurſorem illum terrarum, & ambulatorem perpetuarium, oſtentandæ fortitudinis ſtudio, & periculis quæritandis, aſſiduè aperto ſub cœlo vitam agitaſſe. Uſurpantur etiam hypætra pro locis aliis ſubdialibus, cujuſmodi ſunt porticus, ſolaria, podia, meniana, xyſti &c. De ambulationibus ſubdialibus agit Vitruvius l. 5. 9. Vide *Ambulatio*.

Hyperthyron. Pars januæ ſupra ſupercilium. Zophori quodammodo vicem gerit. A Barbaro redditur *ſopra-fontale*.

Hypocaustum. Pars erat in balneis fornicatæ ſtructuræ; adductoque per foramen, vel feneſtellam calore ignito, ad ſudandum comparata. Confundunt aliqui, ſed optimi Critici diſcernunt Hypocauſtum a Laconico, ſeu Vaporario. De his ſuo loco. Hypocauſtum fornax erat ſubterranea, ſub calidario poſita. Curabant illam ſervi balneares, Fornacatores dicti, quorum erat pilis glomiſque piceis fovere ignem. *Stat.* Silv. l. 1.

——— crepantes
Auditura pilas, *ubi languidus ignis inerrat*
Ædibus, *&* *tenuem volvunt hypocauſta vaporem*.

Etiamnum Romæ viſuntur reliquiæ tuborum, qui parietibus inſerti vaporem igneum diffundebant. Plutarchus Sympoſ. l.3. Probl. 10. tradit proviſum fuiſſe per Ædiles, qui caverent, ne igni olea, vel lolium ſuccenderetur; propterea quòd creatus ex iis ignis cerebro eſſet noxius. Id mihi, ut de lolio, quod capiti prægrave eſt, non video eſſe ambigendum, ſic minimè dictum arridet de olea, ex qua productum ignem non modò neutiquam per-

Digitized by Google

pernicioſum, imò potius, propter balſaminam uliginem, non parum ſalutarem eſſe, quotidianæ experientiæ uſu condiſco in hac Urbe Tiburtina, ubi, commodius ad ſtudendum otium nactus, hæc ſcribo, & camino oleaginis lignis ardenti per hyemem, ſine ulla ſiniſtræ impreſſionis ſuſpicione, frequenter aſſideo. *Stufa*.

HYPOGÆUM. Latinè ſubterraneum. Ambulationes Hypogææ ipſiſſimæ ſunt Cryptoporticus. *Vitruvius*.

HYPOMOCLION. Cylinder, qui vecti ſupponitur ad onera ſublevanda. Vitr. l. 10. 8. *Sottoleva*.

HYPOSCENIUM. Latinè ſubſcenium. Depreſſior erat locus ſub proſcenio in theatris Græcorum, ſub quod per gradus deſcendebatur. Non memini apud probatos Scriptores uſurpari hoc vocabulum. Recenſet tamen illud Scaliger Poetic. l. 1. 22.

HYPOSTEGÆ AMBULATIONES. Vide *Diſtega*.

HYPOTHYRON. Opponitur Hyperthyro. Hoc ſupra, illud ſub portam ſonat. *Soglia*. Falſi ſunt, qui pro lumine, hoc eſt hiante oſtii inanitate, & vacuo portæ exponunt: nam Vitruvius l. 4. 6. apertè illa diſtinguit, & vox ipſa eam ſignificationem abnegat.

HYPOTRACHELIUM. Latinè ſub collum dicas. A collo, qua parte contrahitur corpus humanum, ſic appellat Vitruvius conflexum contracturæ in ſuperiore præſertim columnæ parte; nam eodem nomine alicubi etiam imæ contracturam nuncupat, quam tamen frequentiùs apophygen nominat. *Collo della colonna*, *Collarino*, *Fregio*, *Raſtremamento*. Pars eſt inter aſtragalum, & echinum, quæ refert lancem, lato orificio hiantem, cujus quaſi operculum eſt abacus. Eadem pars roſis adſcalpitur in capitulis Doricis. Eum ornatum Tuſcanica ſymmetria non admittit.

I

JANI, orum. Sunt ex Cicerone l. 2. de Nat. Deor. tranſitiones perviæ; nec triumphales ſolùm, ut explicari ſolet, ſed omnis generis, & quæcumque opera fornicata pervia, quæ occurrunt in tranſitu viarum. Jani dicuntur a Jano, vel a janua, habent enim opportunitatem tranſitus ad modum januarum. Memorantur etiam a Svetonio in Domit. c. 13. *Janos, arcuſque extruxit*. Quem locum Nizolius inſcitè vitiavit, intrudendo *januas*. Sic etiam exponendus eſt idem Svetonius in Aug. *Pompeji ſtatuam marmoreo Jano ſuppoſuit*. Ubi Janus non eſt ſtatua, ut falsò a nonnullis creditur, ſed arcus.

JANUA. Propriè primus eſt aditus, & ingreſſus in domum. Differt a porta, quæ dicitur de magnis ædificiis, ut ſunt mœnia, caſtra, templa &c. Differt etiam ab oſtio, quod eſt aditus ex uno in aliud cubiculum. Hæc tamen diſcrimina minimùm obſervari ſolent. A Jano eorum adituum cuſtode, januas appellatas, docet Cicero de Nat. Deor. Proinde antiqui fabularum Scriptores Jani ſimulacro geſtatas manu claves attribuerunt. A templo autem eidem a Numa dicato, a patentibus, vel clauſis januis, Cluſius, & Patulcius eſt nuncupatus. Ad explicandas præterea geminas Jani facies nihil eſt cauſæ, quamobrem Mythologi quàm longiſſimè abeant ad non unas allegoricas animadverſiones, cum obvium planumque ſit, iis indicari fores, quæ ſunt pars exterior, & poſtes, qui ad januæ latera poſteriores ſunt ejuſdem partes. Si amor mutuus, innocentia, integritas, fides vitæ mortalis curſum regerent, reſque humanæ ſe haberent, ut olim, cum, teſte Seneca,

per-

Digitized by Google

——— *pervium cunctis iter,*
Communis uſus omnium rerum fuit,

januas, janitores, cancellarios, oſtiarios, rem ſupervacaneam, imò verò ignota nomina haberemus. Sed poſtquam nihil ſanctum tutumque eſſe ſinunt, quæ infeſto agmine in noſtri generis exitium vitia irrupere, ut ſe, ſuaque quiſque quàm diligentiſſimè tueretur ſuaſerunt ſuſpicioſi metus, curæ vigiles, & vitæ ſubſidia parandi importuna neceſſitas. Hinc non ſolùm foveis & propugnaculis urbes præcingimus ad publicum munimentum; ſed privatas inſuper ædes tamquam carceres habemus, januarum repagulis ſecluſi ab aliorum commercio. Januis januarum cuſtodes addidimus, qui olim ſervi erant catenis vincti. *Columella* Præfat. ad l. 1. *An putem fortunatius a catenato repulſum janitore, ſæpe nocte ſera foribus ignotis adjacere?* Idem addocet Svetonius de Clar. Rhet. Sed quaſi viliſſimis mancipiis parum eſſet fidendum; Janitoribus canes adjuncti in cuſtodiam. *Sveton.* in Vitell. *Confugitque in cellulam janitoris, religato pro foribus cane.* Quin & depicti canes præ foribus viſebantur, quos ego etiam alicubi peregre agens ante frontes cauponarum depictos cernere memini. Ad hæc ancillæ oſtiariæ & janitrices non ſolùm apud Plautum, Petronium, profanoſque alios Scriptores occurrunt, ſed in Sacris etiam Literis non uno in loco commemorantur. Januæ privatarum ædium ex lignis, ſed quæ ſolidi firmique ſint roboris conſtrui ſolent. Quæ verò ſunt ex uſu publico, ut portæ urbium, arcium, ærarii, & ſimilium ex perpetua lamina ferrea ſuperinduci, claviſque umbellatis firmari conſultius eſt atque ſecurius. De portis geminis templi, quod Jano condidit Romulus, ſolemnique poſtea ritu aperiebantur a Conſule flagrante bello, & pace inita, claudebantur, hæc habet *Virgilius* l. 1.

——— *ferro, & compagibus arctis,*
Clauduntur belli portæ.

Q Et

Et l. 7.

Centum ærei claudunt vectes, æternaque ferri
Robora.

ICHTHYOPOLIUM. Forum piſcarium, *Peſcheria*.

ICHNOGRAPHIA. A deſcriptione, & pedis veſtigio dicitur. Græcanicæ vocis origini inſiſtentes Architecti aptè vocant *Pianta*. Eſt enim delineatio futuri operis in plano. Fieri ſolet in tabula, vel papyro. In ea deſcriptione circini, regulæque uſus maximè requiritur, ut docet *Vitruvius* l. 1. 2., ubi in hæc verba illam definit: *Circini, regulæque modicè continens uſus, ex qua capiuntur formarum in ſolis arearum deſcriptiones*. Ichnographiæ ſuccedit Orthographia, quæ modicè depictam oſtendit erectam operis frontem, ut clarè ſcribit idem Vitruvius, & non laterum etiam, ut contra Magiſtrum Barbarus opinatur. Eam dicimus *l'Alzato*. Sciographia lineationi umbras addit; oculiſque non lineas ſolùm, ſed rerum ſpecies expreſſiores ſubjicit. *Adombrazione*. Poſtremò Scenographia totius operis erectionem demonſtrat; nec ad ſolas umbrarum projectiones coarctatur, ut Sciographia, ſed comprehendit quidquid quoquomodo facit ad radiorum viſualium projectionem. *Profilo*.

ICON, &

ICONISMUS. Pro delineatione ædificii paſſim ſumitur.

ICONICÆ IMAGINES. A ſimilitudine ex Græco dicuntur ſtatuæ, vel picturæ quæ a membris ipſis, & ad corporis menſuram exprimuntur a pictoribus, vel ſtatuariis. De ejuſmodi ſimulacris, quæ iis maximè ſtatuebantur, qui in ſacris certaminibus, ac præſertim in Olympiis, viciſſent, ita ſcribit *Plinius* l. 14. 4. *Eorum verò, qui ter ibi ſuperaviſſent, ex membris, eorum ſimilitudine expreſſa, quas Iconicas vocant*.

IDOLUM. Simulacrum, cui honor habitus. *Cic.* de Fin. l. 1. 6. *Imagines, quæ Idola nominant*. A ſpecie ex Græco nominantur. Quamobrem translatè ſignificant ſpecies, & formas rerum, quas mente concipimus.

IMA-

Digitized by Google

Imago. Effigies, ſimulacrum. Non imagines ſolùm, & ſimulacra, ſed templa etiam Diis extolli, antiquitus vetitum legibus fuiſſe, alibi, notavimus. Opinionem ipſo religionis obtentu irreligioſam error cognitus antiquavit. De imaginum origine vide titulum *Statuæ*. Virorum illuſtrium effigies in atrio, loco omnium maximè conſpicuo, conſtat elatas: amicorum verò in cubiculis ſervabantur. Hinc cubicularium imaginum legimus apud Svetonium in Aug. De atrienſibus ſimulacris, quæ Majores domi belloque claros referebant, *Juvenalis* Sat. 6.

Stemmata quid faciunt, quid prodeſt, Pontice, longo
Ordine cenſeri, pictoſque oſtendere vultus
Majorum, & ſtantes in curribus Æmilianos,
Si coram Lepidis male vivitur?

Et ſequitur multa adjiciens declamatoria, amaro felle, ſed æquiſſima acerbitate contorta. Quid enim indignum magis atque dedecoroſum, quàm inter ea virtutis incitamenta & ſuſcitabula, deſidia computreſcere, ſeſeque ignavo otio conterendum tradere? Nullum certè præclarius emolumentum picturatæ vel inſculptæ imagines afferunt, quàm ad pietatem, & ad præclara ſtudia excitare animos; & ad egregia facinora, æmulationemque avitæ virtutis incendere. Neque verò id Herculis, aut Alexandri Magni, ut apud Trebellium legitur, geſtatis iconiſmis ſtrenuè olim feliciterque ceſſiſſe conficiam: ſed vel in imagine ſcarabei, quod ſignum militare apud Romanos erat, quæ a militibus geſtata virtutem maſculam in præliis, ut apud Ælianum legitur, ingenerabat. Idcirco in anulis præſertim & apoſphagiſmatis ejuſmodi icunculæ gerebantur, ut propiores illi eſſent, ſubjectique oculis ad gloriam ſtimuli. Dicari igitur templa, ſtatuæque non modò Deorum, ſed virorum etiam præclarè de Republica meritorum erigi cæptum. Idque non ſolùm religionis, ſed pietatis atque humanitatis præcipuam partem eſſe, hauſere animis.

Imaguncula. Parva imago. Sveton. in Aug. 7.

Digitized by Google

IMBREX. Imbrices in tectis ſunt ſemitubuli, ſive canales fictiles arcuati, qui imbres, a quibus appellationem ſortiuntur, arcent a ſubſtructo ædificio; eoſdemque a compluvio acceptos per ſuggrundas in compluvium reddunt. Imbricatam ſtructuram, & imbricatim ſtructum dicimus, quod ad imbricis formam compactum eſt. *Plautus* in Milit. hæc habet: *Confregiſti imbrices, & tegulas*. Ubi ſic accipias diſtingui imbrices a tegulis, ut tegula generale ſit nomen, quodcumque operimentum tectorum ſignificans, a figura tamen ſingillatim accepta ab imbrice diſcriminetur. Eſt proinde tegula nomen generis, & ſingulari modo rei contentæ ſub genere, cujuſmodi non pauca vocabula apud Latinos occurrunt. *Vitruvius* l. 7. 4. ſingulari nota diſtinguit tegulas per hæc verba: *Hamatæ tegulæ ab imo ad ſummum figantur*. Ad quem locum ita *Baldus*: *Cur hamatæ tegulæ dicantur, ignotum, & irrepertum mihi*. Miror illuſtrem gnavumque Criticum hamatæ tegulæ ſignificationem non olfeciſſe. Triplex eſt tegularum genus. Aliæ ad modum laterculi planæ ſunt, quibus primùm tecta conſterni ſolent, Italis *Pianelle*. Aliæ arcuatæ curvæque, nempe imbrices, quos dicimus *Canali*, *Coppi*. Aliæ ſunt hamatæ: planæ illæ quidem & latiores, ſed ſurſum reflexos utrinque habent margines, ad modum ſpondæ, quæ ſingulari vocabulo dicuntur *Tegole*; & ab illis ſpondis, veluti hamis, quibus nimirum imbrices arreptant, hamatæ nominantur. Proinde nihil eſt cauſæ, quamobrem Salmaſius non hamatas apud Vitruvium, ſed animatas tegulas putet legendum; exponatque canaliculos utrinque foramina habentes ad expirandum reddendumque aerem. Præter enim quamquod locus Vitruvii ſatis apertè de tegulis loquitur, quæ ab imo ad ſummum extenduntur, minimè verò de expiratoriis, quæ tegulæ locantur ſparſim per tecta, non ab imo ad ſummum diriguntur, parum Latinè canaliculus, quem Baldus intrudit, dicitur animatus, qui vocis character apud Latinos non indicat quod ſpirat, vel egerit,

ſed

Digitized by Google

ſed potius quod poſſidet retinetque, ut dentatus, auratus, nummatus, & alia innumera.

IMBRICATIM. Vide *Imbrex*.

IMPAGES. A pangendo. Eſt margo, quo tympanum in valvis per ambitum includitur. Vitr. l. 4. 6. *Orlo*. Feſto eſt, quod tabulis additur, ut firmius hæreant. Etiam ad ornatum impages faciunt; ſunt enim veluti coronides tympani.

IMMISSARIUM. Vide *Emiſſarium*.

IMMOLIOR. *Liv.* l. 39. *Quæ loca publica inædificata, immolitave privati habebant, intra triginta dies demoliti ſunt*. Videtur inædificatum propriè de ædibus, immolitum de aliis dici, de portubus nempe, & ſimilibus: vox enim ipſa vim quamdam exprimit molis injectæ, vel erectæ.

IMPLUMBO. Plumbo aliquid necto. *Vitr.* l. 10. 7. *Ferreos codaces in capitibus ſcaporum implumbavit*.

INÆDIFICO. Vide *Immolior*.

INCERTUM OPUS. Idem antiquum. Vitruvius l. 2. 8. duo recenſet genera ſtructurarum: reticulatum, quo cæſi lapides, vel quadrati lateres ſic diſponuntur, ut erecti ſtent in latus, ſeſeque exporrectis utrinque angulis fere contingant; & figuram quaſi expanſi retis demonſtrant. Incertum conſtat lapidibus, lateribus, & cæmentis in plano ſtratis, ac proinde inſidentibus firmiter, atque cubantibus colligatione nexuque alternæ coagmentationis. Quod verò ibidem ſubdit Vitruvius, opus reticulatum Incerto venuſtius quidem eſſe, minimè verò firmius, multis improbat Vitalis Lexic. Mathem. præcipuæ quoniam vetuſtiſſimæ moles, quæ maximam partem extantes hodie noſcuntur, tam validè connexæ ſunt, ut ea firmitas & ſoliditas multum præſtet Incertis. Addit immenſum habere robur vim cunei, quo fit ut difficilè fatiſcant, & diſſolvantur. Baldus e diverſo firmius cum Vitruvio putat Incertum; quoniam ſtructura cuneata, cum ſe a lateribus protrudat, minus eſt ſtabilis; ſolidiſſima verò eſt, quæ ad normam, libellam, & perpendiculum

culum exigitur. Quidquid ea ſuper cauſa Architecti diſceptent, certum eſt a recenti ædificatoria reticulatum opus abolitum fere, & antiquatum eſſe.

INCERNICULUM. Cribrum. *Crivello*. Plinius.

INCERNO. Incerniculo utor ad quidpiam purgandum; vel ad egerendum ex eodem quidpiam, ad uſum operis faciundi. Vitr. l. 7. 1.

INCILIA. Colum. l. 5. 9. Ab incidendo. Sunt inciſiones terræ, quæ fiunt prope fluvios, vel rivos communes, ad aquas aliò deducendas. Dicuntur tam de foſſa adaperta, quam de ipſa aquarum derivatione. Uſum habent ejuſmodi inciſiones non ſolùm in re militari, præſertim in trajectu fluminum, quæ ſic inciſa vadari facilè poſſunt; verùm etiam in re hortenſi, ubi, per eas diſciſſiones, in plures areolas agitur aqua ductilis per canales præfoſſos. Nuſquam operoſiùs quàm in Ægypto de aperiendis inciliis certatum eſt. Cum enim ſumma imbrium inopia ea regio laboret, per innumeras Nili inciſiones popularium, præſertim eorum, qui remotiores ab eo amne degerent, egeſtati proviſum eſt. Effectum inde eſt, ut merces, agrorumque proventus commodiùs deportarentur; urbium verò longè diſſitarum commercium crebreſceret; ſimulque armis exteris inacceſſa provincia redderetur. Id opus a Seſoſtri Rege inchoatum, ſubſequuti Reges abſolverunt. Proinde quemadmodum natura contigit, ut aquas pluvias Ægyptus non haberet, ſic arte perfectum eſt, ut illis non indigeret.

INCRUSTO, as. Parietes incruſtare, eſt loricare, tectorium inducere. Quid verò ſit cruſtam applicare, expoſui in tit. *Emblema*, *Hyaloſtraton*.

INCUMBA, æ. Pars, vel caput ipſum pilæ, cui fornix incumbit. *Vitr.* l. 6. 11. *Cum cunei ab oneribus parietum preſſi extruſerint Incumbas*.

INFUMIBULUM. Plin. l. 24. 15. Exponi ſolet caminus; ſed propriè pars eſt camini, nempe ſpiramentum, vel gula, qua fumus ejicitur. *Gola del Camino*.

IN-

Digitized by Google

INLICES. Canales, per quos aqua in vias influit. Feſtus.

INSCULPO. Celo, incido. Diomedes non trahit a *ſculpo*, quod negat vocabulum Latinum eſſe, ſed a *ſcalpo*, *a* in *u* mutata, ut a *calco*, fit *inculco*, a *ſalſus* fit *inſulſus*.

INTERCARDINATÆ TRABES. Quæ ſunt cardini ſimul alligatæ. Vitr. l. 10. 20.

INTERCOLUMNIUM. In ordine, vel ſtructura columnarum ſpatia ſunt, inter eaſdem relicta. Vitr. l. 3. 6.

INTERGERINUS PARIES. A Feſto exponitur, qui ſtruitur, & quaſi intergeritur inter confines. *Muro diviſorio*.

INTERMURALIS, le. Quod inter muros relinquitur, vel erigitur. Liv. l. 44.

INTERMURANUS, a, um. Quod eſt intra murum, ſicut extramuranus, quod eſt extra murum. Lamprid. in *Heliog.*

INTERORDINIUM. Quod eſt inter ordines, puta arborum, vel columnarum. *Tramezzo*. Colum. l. 3. 13.

INTERPENSIVA, orum. Quod ſit genus tigni vel aſſeris, vox ipſa docet; nempe quod inter alia tigna, vel aſſeres pendet, vel pendendo ſuſtentat. Vitr. l. 6. 3.

INTERTIGNIUM. Spatium inter tigna diſpoſita. Vitr. l. 4. 2. Idem Magiſter Intertignia vocat ſpatia, quæ triglyphos dividunt, quæ Græca voce Metopæ nominantur.

INTERVALLUM. Spatium quod relinquitur inter vallos, ſeu palos in ſtructura diſpoſitos. Propriè eſt caſtrenſe vocabulum; ſed jam ampliſſimè divagatur ad indicanda non locorum ſolùm, ſed etiam temporum interjecta ſpatia.

INTESTINUM OPUS. Memoratur ſæpius a Vitruvio, & exponitur quod ligno conficitur. Idem a ſublicis vocatur opus ſublicium. Suſpicari ſubiit ſic appellatum, vel quoniam ea ſtructura in interioribus ſolùm ædium partibus, ut in contignationibus, tectiſque, locum habet; nam deforis cæmento & lapide procidit ædificatio; vel quoniam trabium & aſſerum capita interius conduntur in parietibus ad fulturam.

INTRITA, æ. Alii Intritum. De calce dicitur, elaborata quidem & ſubacta, nec tamen ad ſubitos uſus adhibita, ſed

Digitized by Google

ſed aſſervata ad diuturnam fermentationem. De hoc genere ſcribit *Plinius* l. 36. 21. *Vetuſtior & melior*.

JONICUS ORDO. Temperatus eſt, mediuſque inter Doricum, & Corinthium, ut docet Vitruvius l. 1. 2., quemadmodum enim ſeveritatem quandam exhibet Doricus, cujus Ordinis idcirco ædificia Minervæ, Marti, & Herculi ſtruebantur; Corinthius verò delicatum quiddam floridumque exprimit; atque ideo Veneris, Floræ, & Proſerpinæ ſacris ædibus deſerviebat; ſic inter utrumque medius Jonicus, eleganti ſeveritate, ſeveraque elegantia, utriuſque laudes miſcet, præſtatque. Jonicus ab Jonia, ubi inventores habuit, eſt appellatus.

ISODOMUM, & PSEUDISODOMUM. Quid ſint in ſtructuris parietum clarè exponit *Vitruvius* l. 2. 8. *Iſodomum dicitur, cum omnia coria* (incruſtationes intellige) *æqua craſſitudine fuerint ſtructa*: *Pſeudiſodomum, cum impares & inæquales ordine coriorum diriguntur*.

JUGAMENTUM. Structura ad modum jugi bovini. Cato de R. R. Hinc jugumentare apud Vitruvium l. 2. 1., ubi agit de rudibus ædificiis primorum hominum, eſt tignis ad formam bovini jugi ædificare.

L

LABRUM. In balneis vas eſt, vel potius piſcina præcapax, lapidea, vel marmorea, ubi aqua ſuppetit ad lavandum. Ejus inſtruendi normam tradit Vitruvius l. 5. 10.

LABYRINTHUS. Structura implexis conſtans viarum ambagibus, cum inexplicabili a crebris foribus occurſu recurſuque, ad fallenda veſtigia, reditumque in eoſdem errores, per anfractus in ſe recurrentes & tortuoſos, in irritum faciendum. Quatuor præcipuè recenſentur Ægyptius,

Digitized by Google

ptius, Creticus, Lemnius, Italicus. Ægyptius omnigenæ ſtructuræ opera continuit, columnas, pyramides, ædiculas, vias ſubterraneas, porticus, omnia magnifica, immenſiſque ſumptibus, & elegantiſſimo opere elaborata. Ægyptii partem centeſimam in Creticum pro exemplari retulit Dædalus. Lemnius non impar Ægyptio, columnis centum & quadraginta etiam mirabilior. Italicum ſibi pro ſepulcro ſtruxit Porſena Etruriæ Rex, de quo hæc Plinius ex Varrone: *Sepultus eſt ſub Cluſio, in quo loco monumentum reliquit lapide quadrato: ſingula latera pedum lata tricenûm, alia quinquagenûm; inque baſi quadrata intus labyrinthum inextricabilem, quò ſiquis improperet ſine glomere lini, exitum invenire nequeat.*

LACONICUM. In balneis cubiculum erat teſtudinatum, ubi calore ſicco ſudorem provocabant. Ab iis maximè frequentatum, qui cruditatibus medebantur. Laconicum dictum, Dione teſte, quia ejuſmodi cellæ vaporariæ a Lacædemoniis præcipuum in modum adiri conſueverant. Laconici meminit Cicero ad Att. l. 4. 10. Idem locus ſudatorium appellatum a Seneca, ab aliis vaporarium. *Stufa*.

LACUNAR, & LAQUEAR. Contignatio, ideſt operimentum ædificii ex ligno, ſive quadrato fiat opere, ſive concamerato. Dicitur a lacu, qui propriè eſt ſpatium quadratum, quemadmodum ſunt interſtitia inter aſſerculos, quadrata figura diſpoſitos in contignationibus. Ad hanc formam lacus appellat Columella quadrata ſpatia in granariis, ubi legumina omnis generis ſeparatim conduntur. Laquearia fuere cameris antiquiora. Et antiquitus quidem rudia, & rimoſa fuiſſe oportet, teſtante Servio morem Veterum, qui vela illis ad excipiendum pulverem ſubtendebant. Diſtincta poſtmodum figuris ex ligno variis; tum ſpatiis quadratis, rotundis, triangularibus. Cameræ item poſtea inductæ ſunt laqueatæ; ex ligno ſcilicet contignatæ; cum primùm tectorio, &

Digitized by Google

albario, picturiſque eſſent inductæ. Ipſa demum lacunaria picturis ornata; quod inventum Plinius l. 35. 11. refert ad Pauſiam Sicyonium. Idem Hiſtoricus l. 33. 3. tradit laquearia in Capitolio primùm inaurata poſt everſam Carthaginem. *Solajo*, *Soffitto*.

Lamina, & Lamna, ut habent Vitruvius, aliique. Fruſtum metallicum, in latitudinem productum. Lamnas centenarias, quinquagenarias, vicenarias &c. vocat Magiſter lib. 8. 7., quæ centum, quinquaginta, viginti &c. digitos ex plumbo latæ ſunt in fiſtulis aquæductuum. Item ex argento, vel auro tenduntur malleo percuſſæ laminæ, ex quibus ſtatuæ, vaſa, toreumata, & ſimilia conficiuntur. Ad pecunias etiam ſignandas adhibentur laminæ ex iiſdem metallis, mole varia, juxta pretium a Publico impoſitum. *Piaſtra*. *Laſtra*. De uſu laminæ ferreæ conſule titulum *Ferrum*.

Lapidarius. Qui lapides excidit. Ulpianus. *Tagliatore di ſaſſi*.

Lapicidina. Locus, ubi ſaxa exciduntur. Sunt qui dicendum putant *Lapidicina*, a lapide; ſed magis purgati Codices, præſertim apud Ciceronem, habent *Lapicidina*, a cædendo lapide. Ex iis fodinis ſiliceæ ſunt omnium duriſſimæ. Quæ molliores ſunt, ſaxa gignunt, quæ oneri ferendo commodam operam præſtant, & docilia tractatu ſunt. Verùm ſub dio facilè diſſolvuntur gelicidiis & pruinis. Ex temperatis laudat Magiſter l. 2. 6. Tiburtinas, utpote firmas adverſus tempeſtatum injurias; ſed ad ignis morſus diſſilire eas facilè affirmat, quoniam terra, vel nulla, vel admodum modica, concreta ſunt, plurimumque aeris igniſque habent. Commendat præ aliis, quæ ſunt in agro Tarquinienſi, prope lacum Vulſinianenſem, & Anicianæ appellantur. Excidi ſaxa oportet æſtate, non hyeme. Poſt biennium recognita, quæ injuria temporum vitiata fuerint, locandis fundamentis adhibeantur; quæ vitium non contraxerint, ædificiis ſupra terram ſtruendis aptentur. *Petraja*.

La-

Digitized by Google

LAPILLUS. Parvus lapis.

LAPIS. Terra durior, quæ comprehendi fere manibus poteſt; ſed adhuc durius ſaxum, quo ſiliceum robur e rupibus exciſum potius indicamus. Neque enim gemmas ſaxa, ſed lapides appellaveris. Lapis ſine addito locus Romæ erat, ex quo præco in auctionibus res venales nunciabat. Sermo inde popularis, *emptus de lapide*, apud Plautum, & Ciceronem, ideſt homo viliſſimi pretii & exiſtimationis. Lapides terminales in diviſione agrorum limites erant. Hermam, & frequentiùs Deum ipſum Terminum, rudem informemque referebant. Colebatur tamen is Deus; cujus feſta, & ſacrificia Terminalia nuncupata. Qui ex agro terminum amoviſſet, apud cultas nationes ſeverè multabatur. Ad ultimum lapis pro milliario accipitur: eſt enim cippus, vel columella lapidea, quæ ſingula paſſuum millia diſtinguit, indicatque inciſo milliariorum numero.

LAQUEAR. Vide *Lacunar*.

LARARIUM. Pars olim ædium apud Romanos, & ſacrarium domeſticum, ubi Lares Deos, earumdem ædium cuſtodes habitos, colebant. *Cappella*.

LATER. Genus terræ, quæ coctura duratur in lapidem; ex qua, in formam fere quadratam ſubacta, ſtructuræ fiunt, reliquis facilè firmiores. Crudi lateres dicebantur, qui exſiccabantur ad ſolem expoſiti toto biennio; & frequentiùs erant in uſu. Ex lateribus igne excoctis extructi erant muri Babylonici, inter humanæ magnificentiæ prodigia adnumerati. Quid ſit later, vel laterculus in columnis. Vide in dictione *Abacus*. Monet Vitruvius l. 2. 3. lateres ducendos eſſe ex terra albida cretoſa, minimè verò ex calculoſa ſcrupoſaque, quoniam hujus generis, facilè diſſolvuntur; & cum ponderoſi ſint, minus apti inveniuntur ſtructuris. Laudat leviores, cujuſmodi ſunt alicubi in Hiſpania, & Gallia; & pumicoſos, qui projecti natant in aquis. Tria verò cenſentur laterum genera; Didoron, longum pede, latum ſemipede,

Digitized by Google

qua menſura Romani utebantur; tetradoron quod quoquoverſus quatuor palmos continet, & pentadoron, quod palmos quinque; quorum priore utebantur Græci in ædificiis privatis; poſteriore in publicis. Dicuntur etiam ſemilateres, qui ad lineam alternis coriis alligati lateribus, firmiorem, & venuſtiorem ſtructuram conficiunt. *Mattone*, *Quadrello*.

LATERCULUS. Parvus later. Vide *Abacus*. *Quadrelletto*.

LATERARIUS, a, um. Lateraria tigna vocat Vitruvius l. 10. 20. quæ opus, vel machinam a lateribus firmant.

LATOMIÆ, aliter LAUTUMIÆ. Propriè lapicidina, ubi ſervi vincti opus faciebant. Cadmi inventum fuiſſe tradit Plinius l. 7. 56. Hujus appellationis erat carcer, Syracuſis a Regibus, & tyrannis extructus, exciſis rupibus. Tamquam opus impensè admirandum deſcribitur a Cicerone Verr. ult. Translata inde appellatio ad carceres Romanos. Plaut. Capt. *Ibis in Latomias lapidarias*.

LATRINA, quaſi Lavatrina. Pro balneo plures exponunt, a lavando. Eſt etiam locus, quo ſordes ejiciuntur. *Ceſſo*.

LAVACRUM. Balneum. Locus quo quis commodè lavari poteſt.

LAVATIO ASSA. Vide *Balneæ*.

LAVATIO FRIGIDA. Vide *Balneæ*, *&* *Frigida lavatio*.

LAXAMENTUM. Spatium, ſive area laxior ad ambulandum. *Vitr.* l. 3. 2. *In medio ambulationis laxamentum circa cellam fecit*.

LEPORARIUM. Teſte Gellio l. 2. 20. Licèt propriè de leporibus dicatur, pro ſepto tamen, in quo omne genus animalium clauditur, uſurpari ſolet. Fulvius Hirpinus primus Romanorum, ut refert Plinius l. 9. 56. aprorum dicitur, cervorumque conſepta inſtituiſſe, ingenti ſilveſtrium ferarum copia in agro Tarquinienſi concluſa. Ea porro ferarum clauſtra non tam ad proventum, quam ad venationum oblectamenta, & ad magnificentiam viri Principes ad multa alicubi milliaria protenſa excolunt frequentantque. *Parco*, *Vivajo*.

Digitized by Google

LIACULUM. Inſtrumentum, quo levigantur & poliuntur parietes poſt inductum tectorium. Conſtat quadrato aſſiculo ligneo, cum ligneo item manubrio; Italis *Frataccio*. *Vitr*. l. 7. 3. *Liaculorum ſubactionibus fundatæ ſoliditates*.

LIBELLA. Inſtrumentum, quo planum exploratur in ſtructuris. Perpendiculum. *Livella*, *Archipenzolo*, *Penzolo*, *Traguardo*, *Piombino*.

LIBRA. Inſtrumentum Geometricum, quo exploramus aquarum altitudinem, & quo fit collatio loci, ex quo aqua deducitur, cum loco, quo derivatur, ut commodè poſſit aſcendere, vel deſcendere. *Scandaglio*. Ex libra fit libella, & libramentum, quod eſt æquatio libræ; diciturque præterea de poſitu corporis, ſic alterum ſubjectum tangentis in puncto, ut neutra ex parte pendeat. *Bilico*.

LIBRAMENTUM. Vide *libra*.

LIBRATOR. Peritus in expendenda aquarum altitudine.

LIGNUM. Quod in agris vel ſilvis cæditur, & legitur, ex quo vocis etymon, ad varios vitæ uſus & commoda. Dubitari non poteſt, ligna materiam extitiſſe, ex qua vetus Architectura, & in primis ædificatoria, molitiones ſuas conficiebat. Ex ligno primi mortales ædificia ad inhabitandum, & ipſa progreſſu temporum conſtruebant ornamenta, ut de columnis ſingulari modo ſupra expoſuimus. Addidicerunt inde Architecti imitari ex marmore, metallis, & lapide, quæ non ſtructuris ligneis obſervarunt commodè & eleganter eſſe confecta. Ex iis initiis, ut non uno in loco tradit Vitruvius; ſtatuæ, pilæ, columnæ, aliique lapidei, vel marmorei ornatus profecti ſunt. Sed & horum temporum Architectura, tam civica, quam militaris, maximam partem circa eam materiam verſatur. Ut enim prætercam organa, & machinas bellicas, ſub oculos quotidie habemus pulcherrima ex ligno ornamenta templorum, tum theatra ſcenica, pontes ſublicios, molas fluviaticas, moleſque innumeras

Digitized by Google

ras ad urbanos variorum operum uſus. Neque verò circa cæſos ſolùm truncos adlaborat Architectura; virentes ipſas frondoſaſque arbores in ædificia, concamerationes, effigies hominum, ferarum, avium, formaſque alias innumeras vertit in topiariis. Tondentur in eas imagines myrti, buxi, hederæ, aliæque ſequaces plantæ. Herbas ipſas floreſque ita diſtribuimus, ut tapetia Babylonica, eaque viva & ſpirantia mentiantur. Iſthæc ſuper lignea ſtructura hìc commemoraſſe ſufficiat: ut enim ab initio præfati ſumus, Ædificatoriam circa metalla ſolùm, marmora, & cæmenta verſantem, per rerum nomenclaturam, exponere conſtituimus.

LIGO, onis. Inſtrumentum, quo Ruſtici ad evellendas herbas, cæmentarii ad arenam calce commiſcendam utuntur. Conſtat lamina ferrea recurvo item ferro nexa, quæ longiori hæret ligneoque manubrio. *Zappa*. Ad idem arenatum conficiendum pala adhibetur, quæ ſubactum illud adaggerat. Eodem inſtrumento fabri terram effodiunt, rudera excavant, lapides cumulant, vel, ut oportet, projiciunt, manubrium illi brevius, lamina extenſior. *Pala*, *Badile*.

LIMEN. Quo primùm in ædes patet ingreſſus; nec inferior modò januæ pars, ſed etiam ſuperior: limen inferum, & limen ſuperum Nævius dixit. Utrumque limen diſceſſuri ſalutabant: *Plaut.* Merc. *Limen inferum, ſuperumque ſalve*. *Soglia*, *Architrave*. Tandem adorari antiqui moris fuit. *Juvenal.* ſat. 6.

——— *Tarpejum limen adora*
Pronus.

Adde *Ovidium* Metam. l. 1.

Ut templi tetigere gradus procumbit uterque
Pronus humi, gelidoque pavens dedit oſcula ſaxo.

Tergebant eadem pectore. *Stat.* l. 5. Silv. 1.

——— *Omnibus aris*
Illacrimat, ſignatque fores, & pectore terget.

Offendere in limine, vetus eſt dictum de iis, qui vix incipiunt

Digitized by Google

cipiunt quidpiam agere, cum impingunt in offendiculum. *Virgilius* ad prælium tranſtulit:

——— *Cur indecores in limine primo*
Deficimus?

Simile eſt: In portu naufragium. A limine ſalutare aliqui dicuntur, qui rei cujuſpiam, puta, ſcientiæ, vel artis, ne rudimenta quidem deguſtarunt. Tractum ab amicis vulgaribus, qui ad interiores aditus non admittuntur, ſed in tranſitu ſalutant à limine, & prætereunt.

LINEA. Idem quod regula. *Vitr.* l. 7. *Longitudines ad regulam, & lineam exiguntur.*

LITHOSTROTA. Plin. l. 38. 21. dictione Græca ſtratum eſt ex textulis diverſi coloris, quo opere pavimenta vetera ornata conſpiciuntur. Vide *Favi*, *&* *Emblema*.

LOCULAMENTA, & LOCULI. In ædificiis non ſolùm ſunt diviſuræ ſtructiles, in quibus altilia, & majora etiam animalia degunt, ſtabulantur, aut nidificant; verùm etiam excavata in parietibus ſpatia & foramina pro rerum domeſticarum conditoriis. Præcipuè verò ſic appellaverim parietum cavitates, quæ ſtatuas lapideas, vel marmoreas cum baſibus, aliiſque ornamentis excipiunt; quæ idoneo etiam vocabulo thecæ a nonnullis dicuntur. *Nicchie*. Pertinent poſtremò loculi ad rem funerariam. Diſtinguntur a ſepulcris, quæ ſunt concamerationes, quæ plurimos continent loculos. Differunt ab urnis, quarum plures in ſingulis loculis aptantur.

LOGEUM. Latinis pulpitum. Pars ſcenæ, ubi Chorus, quique perſonæ non ſunt, fabulæ ſubſerviunt. Vitr. l. 5. 8.

LONGURIUS. Genus ligni, vel trabeculæ longioris, quorum in ædificiis frequens uſus. *Filagna*.

LORICA. A ſimilitudine pectoris munimenti, loricam vocamus ſpatium, quod extenditur inter duo propugnacula, *Cortina*. Item loricam appellat Vitruvius l. 7. 1. tectorium parietibus inductum: ex quo loricare parietes dicimus, calce, & arena incruſtare. Idem ibidem Magiſter ſic nuncupat ultimum tectorium, quo pavimenta ex-

Digitized by Google

explanantur. *Et ſupra loricæ ex calce, & arena inducantur*. Idem lib. 2. 8. Loricas nominat projecturas, quæ adjici ſolent in ſummis parietum partibus, ut aquæ defluant, & parietes ſtillicidio non corrumpantur.

LORICO, as. *Varro*. Loricare parietes eſt tectorium inducere. *Stabilire*, *Incroſtare*.

LORICATIO. Vitr. l. 7. 1. Actus inducendi tectorium in pavimenta, vel parietes.

LORICULA. Parva lorica. *Hirtius*.

LUMEN. Quod in feneſtris, & portis vacuum eſt, & inane. *Vitr.* l. 6. 6. *Lumina feneſtrarum valvata*. Il vano.

LUNATÆ MUNITIONES. Arrianus l. 1. ſic appellat abſciſſas & interiores ad formam lunæ.

LUPANAR, & LUPANARIUM. Ubi proſtant ſcorta venalia, quæ lupæ etiam appellantur.

LUTUM. Vide *Aceratum opus*.

LYCÆUM. Vide *Athenæum*.

LYSIS, idos. In epiſtyliis partem ſinuoſam ſupra zophorum exponit Baldus. In ſtructuris eſt diſſolutio, ſive hiatus parietis, rimam contrahentis. Eſt enim Græcè Lyſis ſolutio. Vitr. l. 3. 3.

M

MACERATIO. Actus ſubigendi calcem, quæ macerata, ideſt ſubacta & contuſa, adhibetur. Vitr. l. 7. 2.

MACERIA. Murus congerie lapidum, ſine calcis coagmento, aggeratus. In re ſubita, vel ſumptui declinando fieri ſolet, campeſtribus præſertim in locis. *Muro a ſecco*, *muro morto*, *Macera*.

MACHINA. A *Vitruvio* l. 10. 1. definitur. *Continens ex materia conjunctio, maximas ad onerum motus habens virtutes*.

Digitized by Google

tutes. *Aſconius* ſic deſcribit: *Machina eſt*, *ubi non tam materiæ*, *quam artis ratio ducitur*. Hinc arte machinaria claros dicimus *Ingegnieri*. Dividit ibidem Vitruvius machinas ſcanſorias, ſpiritales, ſeu pneumaticas, & tractorias. Item dividuntur in urbanas, ſeu civicas, & militares. De militaribus prolixè nos egimus in Lexico Militari. Ex urbanis eas dumtaxat commemorandas conſtituimus, ſine quibus architectura ædificatoria non poteſt intelligi. Conficiuntur machinæ plexis colligationibus, fulturis, tranſverſariis, cæteroque apparatu organico, & uſu vectium, trochlearum, nervorum, & funium. In primis verò ducenda eſt ratio ponderum, diſtantiæ, impreſſionis, atque dimenſus. Uſus machinarum in theatris, & re ſcenica admodum percrebuit apud Veteres, præſertim ubi Scriptores fabularum, ad ſolvendum nodum, Deum aliquem e ſublimi per machinam demiſſum inducunt. Hinc parœmia; *Deus per machinam*: iis congruit quibus in re perplexa aliquid ex inſperato ſuboritur, quod ſalutem affert, & explicat difficultatem.

MACHINAMENTUM. Machina. Livius.

MACHINARIUS. Pandect. &

MACHINATOR. Livius. Inventor machinarum. *Ingegniere.*

MACHINULA. Parva machina. Feſtus.

MAGALIA. Idem quod Mapalia. Ruſticum ædificium incultumque, Afrorum peculiare; plerumque ad formam carinæ extruebantur; caſæque etiam interdum erant portatiles, ut plauſtra Scytharum. Meminit Virgilius non uno in loco. *Capanne*.

MAGNES. Lapis Lydius, idemque Heraclius: quæ omnes appellationes in idem recidunt; nam in Lydia Provincia, ubi ejus lapidis copia eſt, urbes ſunt Magneſia, & Heraclea. Non auro, non ullis gemmarum comparandus eſt lapis, propter inſcrutabilem virtutem, qua ferrum attrahens, navigationes dirigit, admirandiſque operum molitionibus inſervit. De ejus natura, & prodigiis mul-

Digitized by Google

ta complectitur Plinius l. 34. 14. plura Salmaſius in Solinum. Dinocraten Architectum eo lapide templum Arſinoes Alexandriæ concamerare cæpiſſe, ut ejuſdem ferreum ſimulacrum ſuſpenſum in aere cerneretur, idem ibidem commemorat Plinius.

MALA MANSIO. Quod ſit genus cuſtodiæ, & carceris. Vide *Carcer*.

MALLEUS. Ferrum craſſo contuſoque capite, cum ligneo manubrio, aptum ad tundendum. Inſtrumentum fabrile notum. Malleus etiam dicitur ferrum, quod in medio nolæ, ex annulo pendens, percuſſione ſonitum ciet. *Martello*, *Battaglio*. Malleus item fabris cæmentariis eſt ferrum prægrave & ponderoſum, inſertum habens baculum pro manubrio, quo muros diruunt, vel cuneos defigunt, ut cautes excindant. *Mazza*.

MANUBRIUM. Cujuſvis inſtrumenti pars, quæ ad ejuſdem uſum manu apprehenditur. *Manico*.

MARGO FOSSÆ, vel valli. In re munitoria eſt, quod à propugnaculo & foſſa ſpatium interjacet. Frequentatur excurſu præſidiariorum, & firmatur fulturis ad retinendos murorum lapſus, utque ſaltem ibi conſiſtant decidentes; nec foſſam compleant.

MARMOR. Omnigeni coloris ſolidiſſimum terræ genus, attritu cretæ, & politura nitorem trahens. Cum tot ſint marmorum genera, quot fere ſunt regiones terrarum, in immenſum abiret ſermo ſingulis recenſendis. *Plinius* l. 36. 7. de iis dicere aggreſſus ita ſcribit: *Marmorum genera, & colores non attinet dicere in tanta notitia, nec facile eſt numerare in tanta multitudine. Quotoquoque enim loco non ſuum marmor invenitur?* Idem tamen nonnulla ſparſim enumerat eorum genera, Auguſtum, undulatum, repertumque in Ægypto, Auguſti principatu. Biſalten, ferrei coloris, cui ſimile Thebanum. Lacedæmonium, viride; Lesbium, maculoſum; Leucoſticton, porphiretici genus. Lucullæum, atri coloris, ſed maculis verſicoloribus miſti, ab Ægypto advectum

ctum Lucullo Conſule. Menphiten, à Memphi allatum. Onychen, diſtinctum venis gemmas quaſdam imitantibus, quod & Alabaſtriten vocant: in Arabiæ montibus naſcitur: ex eo pocula primùm, & vaſa, ſolidæ poſtea columnæ erectæ ſunt. Ophiten, à ſerpentum maculis, quas imitatur, nominatum. Porphyriten, rubricans, & ſolidiſſimæ firmitatis. Thaſium, maculoſum; Tiberianum, candicans, in Ægypto Tiberio Regnante inventum. Adde Caryſtium, Parium, Tænareum, Numidicum, Naxium, Phrygium, Liguſticum, vel Lunenſe. Et quandoquidem mihi hæc ſcribenti Plinius eſt præ manibus, profuerit ex eodem declamatoria illa addere: *In portento prope Majores habuere Alpes ab Annibale exſuperatas, & poſtea à Cimbris: nunc ipſæ cæduntur in mille genera marmorum: promontoria aperiuntur mari; & rerum natura agitur in planum.* Verſicolores marmorum maculas in Chiorum lapicidinis primùm inventas; Carios primùm in cruſtas marmora ſecuiſſe; poſtremò creſcere eadem in lapicidinis, author eſt idem Plinius, qui ironico cavillo de more, ita concludit: *Quæ ſi vera ſunt, ſpes eſt numquam defuturam luxuriam.* Operæ pretium fuerit animadvertere, Romanorum molitiones ex ſolido olim fuiſſe marmore; nam ejus ſecandi inventum, eoque ſecto uti, novitium fuiſſe morem, ut indicavi, tradit idem *Plinius* l. 36. 6. per hæc verba: *Nondum ſecti marmoris veſtigia invenerat Italia: ſed quiſquis invenit ſecare, luxuriamque dividere, importuni ingenii fuit.*

MARMORARIUS. Qui marmora expolit. Fit autem id arenæ attritu, quo ſcabrities detergitur, & lævor inducitur. Ad eum porro lævorem explorandum Fabri utuntur unguibus. Hinc ad unguem factum dicimus, quod diligenter, exactaque cura elaboratum eſt.

MARMORATUM. Occurrit apud Varronem l. 3. de R.R., ſed expreſſiùs digeritur à Vitruvio l. 7. 6. Tribus marmoratum generibus conficitur. Primùm ex aſſulis, quæ à

marmorariis dejiciuntur; iterum ex iiſdem, in pilis ferreis detritis; poſtremò ex iiſdem, ſubtiliùs tuſis, & cribro excretis. Tria hæc marmorati genera, arenato permiſta, conſtituunt tres parietum, vel pavimentorum incruſtationes, & diverſa tectoria, quæ Magiſter coria nuncupat. Hujuſmodi tectoriis inductis, & diligenti fricatione lævigatis, colores, picturæque addebantur, quæ mirificum inde ſplendorem ſpectantium oculis exhibebant.

MATERIATIO. Vitruvius, &

MATERIATURA. Idem. Præparatio trabium, aſſerum, tabularum, lignorum omnis generis, quæ ad ædificandum requiruntur.

MATERIES. Singulari modo dicitur de lignis, aptis ad ſtruenda ædificia. Cædenda eſt materies ab ineunte Autumno ad exitum Hyemis. Nam Veris tempore, propter frondium, florumque exuberantiam, trunci arborum rareſcunt, fiuntque imbecilliores; ex quo minor eſt cæſis firmitas & ſoliditas. Quæ verò arborum genera ſint ædificiis aptiora, & quo modo ad uſus varios ſingula ſint diſtribuenda, digerit Vitruvius l. 2. 11. Qui l. 2. 8. arenæ & calcis miſturam, qua parietes farciuntur, materiam etiam vocat. Eandem alibi arenatum appellat. Minus propriè alii intritam & mortarium nuncupant.

MATERIOR, aris. Non ſolùm ſignificat ligna cædere, ſed etiam lignis ædificare. *Vitr.* l. 5. 12. *Ea ædificia minimè ſunt materianda propter incendia*. Loquitur autem de navalibus.

MAUSOLEUM. Sepulchrum Mauſolo Cariæ Regi poſitum ab Artemiſia ejus uxore. Opus inter ſeptem Orbis miracula, pro inſigni ejuſdem magnificentia, adnumeratum. Plin. l. penult. 3.

MECHANICA. Mathematicis, & Phyſicis adjuta principiis, mirum quantum proficit Mechanica, ſcientia machinalis, ad conficienda organa & inſtrumenta, quæ ad elevanda pondera, uſuſque alios civicos, & militares, priva-

Digitized by Google

privatos, & publicos, Reipublicæ, vitæque humanæ deſerviunt. Inſtrumenta nautica, hydraulica, ſciotherica, aliaque innumera domi, bellique adjumenta illi debemus. Fabros, & Architectos, Machinarios miniſtros habet & adjutores Architectura ædificatoria. Non eſt ad fabriles artes penitus rejicienda Mechanica, quæ ſuorum operum, menſurarum, & ponderum cauſas expendit. Id præſertim cognoſcimus in Præfectis fabrorum, *Capomaſtri*, qui non uſum dumtaxat artis, verùm etiam cauſas, & effectus conſecuturos, apprime callent.

MEDIANÆ COLUMNÆ, quæ mediæ in ædificiis locantur, utitur ſæpe Vitruvius hoc vocabulo; nec tamen recenſetur a Lexicariis.

MENIANA. Sic enim ſcribendum, non Mœniana. Vitr. l. 5. 1. Contabulatæ in ædificiis projecturæ ad ſpectandum. Non dicuntur à mœnibus, ſed à Menio Cenſore, authore Feſto, qui primus illa adhibuit ad amplianda ſpectacula. Sunt podia, vel peribolus circa ſolaria, appoſita ne facilis ſit lapſus in præceps. De his vide Salmaſium ad Spartian. in Peſcenn. *Palchetti*, *Poggioli*.

MENSURA, &

MENSUS, us. Varro. Inſtrumentum, quo metimur, & actus ipſe metiendi.

MERONES. Sacci ſunt apud Vitruvium, qui ulva paluſtri, & arena pleni, in mare jaciuntur ad portuum ſtructuram. Alii legunt *Perones*.

MESAULA, æ. Memoratur & exponitur à Vitruvio l. 6. 10. Locus ſive ambulacrum inter duas aulas poſitum. Addit Magiſter, Androncs vulgò perperam appellari; notatque non paucis, improbatque eam acceptionem; degrediturque taxando Romanorum morem, qui Græcis vocabulis ad ſignificationes oppoſitas abutuntur.

MESOLABIUM. Latinè inſtrumentum ad medium inveniendum. Barbarus inventum tradit ab Archimede; Vitruvius l. 9. 3. eodem uſum fuiſſe ſcribit Erathoſthenem.

META. In circo columella erat, prope quam quadrigæ flectebant.

Digitized by Google

ctebant. Horatius. In agris erat terminus diviſorius. Frontinus. Ad ea demum referri ſolet, quæ à cuba figura in acumen deſinunt, quæ eſt figura metæ.

METALLUM. Quod ex effoſſa permiſtaque terra elicitur, & purgatione coctùraque indureſcit, multimodis formari aptum. Neque enim admodum propriè metalla dixerim marmora, licet Poeticè *Silius* habeat,

—— *Quos niveis exegit Luna metallis*.

Cum agricultura, quæ procul dubio ars eſt omnium antiquiſſima, ligone, aratro, aliiſque ferreis inſtrumentis utatur, ſcitè Ariſtoteles cum eadem fere natam ſcripſit artem metallicam: ſic autem ait Œcon. l. 1. 2. *Ordine naturæ prior eſt agricultura, & ſecundum obtinent locum quæcumque aliquid ex terra proferunt, qualis eſt metallorum ars*. Diodorus Siculus à Semiramide primùm inventa metalla, utque eruerentur per captivos eandem juſſiſſe ſcribit. Verùm ad Chamum alii, vel Tubalchainum ex ſacris Paginis referunt id inventum. Metallis eruendis addici & mancipari, conſtat fuiſſe ſuplicii genus. Affectos ſæpius ea pœna fortiſſimos noſtræ Fidei Pugiles, Annales ſacri teſtantur. A metallo, ex quo nummi ſunt cuſi procul dubio iidem dicuntur paſſim *Medaglie*.

METALLICUS, a, um. Quod ad metallum pertinet. Plinius.

METALLICI. Qui metalla eruunt, vel fodiunt. *Plinius* l. 14. 16. *Lavant eas arenas metallici*.

METOPÆ. Spatia ſunt, quæ in capitulis doricis triglyphos dividunt. Clarè *Vitruvius* l. 3. 2. *Inter triglyphos quæ ſunt intervalla, metopæ nominantur*. Eodem vocabulo exprimuntur ſpatia inter mutulos, & inter denticulos in epiſtyliis. *Tramezzi*. *Vani*.

MODULI. Apud Vitruvium, & Architectos ſunt particulæ ſpatii æqualiter dimenſæ, ad quarum regulam opus exigitur. Quòd ſint moduli menſuræ genus in aquis deductis, ſic explicat *Frontinus*. *Aquarum moduli aut ad digitorum aut ad unciarum menſuram inſtituti ſunt. Eſt autem digitus ſextadecima pars pedis, uncia duodecima*.

Mœ-

Digitized by Google

MOENIA. A muniendo dicuntur: Antiquis quippe mœnire erat munire, œ diphthongum habentibus pro litera u; *Pœnici*, quod nos *Punici*, ex quo retinemus adhuc *Pœni*. Mœnia proinde non ſunt muri urbanarum ædium, ut tradit Valla l. 4. Sunt autem opera munita, propugnaculis ſcilicet, turribus, portis, aliiſque munimentis. Muri de urbanis ædificiis dicuntur, magis propriè tamen de publicis, quàm de privatis, quos parietes melius nominamus. Hæc tamen per uſurpationem, à Poetis præſertim, promiſcuè haberi ſolent. Collectiones omnis generis ædificiorum, quæ mœnibus præcinctæ ſunt, Urbes appellantur; niſi forte ambientes aquæ, æſtuaria, maria, vel objectarum rupium objices mœnia ſupleant. Nam ſingulare fuit Lacedæmoniorum præconium jactare, Urbem ſe incolere terreis quidem nudatam mœnibus, non verò ferreis; armatis nempe pectoribus Civium, qui in ſola virtute & fortitudine præſidium patriæ poſitum, murorum verò defenſionem, ſocordiam interpretabantur.

MOLA. Inſtrumentum notum ad fruges terendas. Carebant molis priſci mortales; qui fruges torrebant pilis, & ſaxo comminuebant. *Virgilius*.

Et torrere parant flammis, & frangere ſaxo.

Innotuiſſe molas poſtea, authore Cerere, vel Myante eſt traditum. Certè de iis meminit Homerus in Odyſſ., ubi de hortis Alcinoi ſcribit. Agebantur primùm manibus, ex quo manuales dictæ; eædem à verſando verſatiles, à trudendo truſatiles, à jumentis actæ, aſinariæ appellatæ. Adinventæ poſtremò aquariæ, ad ripas fluminum aquis circumactæ, & pneumaticæ, ſeu ſpiritales, quæ vento circumvolvuntur. Aſinariis volvendis addicti olim ſervi parum morigeri; quorum exempla frequentiſſimè habentur apud Plautum, Terentium, alioſque Comœdiarum Scriptores.

MOLARES LAPIDES. Ponderoſa & grandiora ſaxa. Dubites utrum dicantur à majori cæteris mole, an à molis frumenta-

Digitized by Google

mentariis verſatilibus. Iidem lapides à Grecis Pyrites ab igne appellati, haud equidem quoniam percuſſi ignem excutiunt, ſed propterea quòd reſiſtunt igni. Eam ob cauſam in caminorum fornacumque ſeptis tutiùs aptantur & firmiùs; neque enim diſſiliunt quantolibet igne concepto.

MOLES. Immensè ponderoſum quidpiam, & prægrave ſonat. Uſurpatur tam de ſolidis, cujuſmodi ſunt ſtatuæ coloſſeæ, pyramides, obeli, quàm de ſtructilibus & cæmentitiis, ut ſunt theatra ſublimia, templa, mœnia, porticus, & ſimilia. Præcipuè verò moles appellamus ſubſtructiones in præmagnis ædificiis ſtruendis, ut ſunt portus maritimi, ad tutam navium ſtationem. *Cæſar* de B. C. *molem, atque aggerem ab utraque parte littoris jaciebat*.

MONOTRIGLYPHOS. Structura, quæ uno tantum triglypho conſtat. Vitr. l. 4. 3.

MONOPTEROS, Dipteros, Peripteros, Pſeudodipteros, Pelaſgæ ſunt voces, ab aliis avium dictæ. Iis utitur Vitruvius ad diſtinguendas ſpecies ædificiorum, à diverſitate columnationis, & laterum, à quibus ornatum exteriorem accipiunt. Philander aptè refellit Volaterranum legentem *Dipthyros*, & ſic in aliis, ut ſupra, remque totam transferentem non ad alas; ſed ad portas porticuum, & columnarum, diverſumque earum poſitum. Vitr. l. 3. 2. 3.

MONOLITHUS, a, um. Quod uno lapide conſtat. Columnæ monolithæ, item obeli Monolithi, ex uno perpetuoque lapide, marmore, vel metallo erecti. *Laberius* apud *Nevium*.

MONUMENTUM. Quidquid ad memoriam rei præteritæ excitandam confert. Præſtant id præcipuum in modum columnæ, obeli, & ſimilia, ſculpta vel inciſa rebus memoratu dignis. Inter ſepulchrum, & monumentum hoc ſtatuunt diſcrimen Jureconſulti veteres, ut ubi extincti corpus conditur, dicatur ſepulcrum, ubi abſit, monumen-

mentum tantummodo appellari debeat. Si ita res habet, nihil diſtat monumentum a cenotaphio, quod eſt inane quidpiam & imaginarium, non oſſibus, ulliſque extinctorum reliquiis, ſed honoris ergo iiſdem impertitum.

MORTARIUM. Dicitur a Vitruvio de lacu, ſeu fovea, ubi calx ſubigitur, maceratur, & aſſervatur. Item pro ipſa calce macerata, & quaſi aquis extincta, & emortua, ex quo facilè mortario nomen. Sic autem ſcribit l. 7. 3. *Mortario cæmentum addatur*, & in eandem ſignificationem l. 7. 1.

MUNIMENTUM, &

MUNITIO. Locus inſtructus adversùs vim hoſticam. Notat plerumque præcinctiones ex vallo & foſſa. *Fortificazione*, *Riparo*.

MURRHINA, orum, & non Myrrhina; neque enim ad hujus generis pocula quidquam attinet myrrha, genus aromatis. Pocula ſunt pellucida, candoris eximii, in conviviis ſplendidioribus adhiberi olim ſolita. De iis non pauca ſunt apud Scriptores Veteres, Plinium præſertim, ac Senecam teſtimonia. Nihil tamen adhuc certi ex iis conficitur. Namque aliqui contendunt ex luto albo, in fornacibus cocto, fieri apud Sinenſes; alii ex humore ſub terram denſato. Plerique ſtatuunt, aut ipſa eſſe pocula, & vaſa, quæ nos dicimus *Porcellane*, aut noſtratibus hiſce ſimilia. Multa ſuper murrhinis congerunt Salmaſius in Solin., Scaliger, & Barthius *Animadverſ. ad Stat.* Ejus generis vaſa admodum hodie apud nos ſunt in uſu; nec verò ea ſolùm, quæ a Sinenſibus, verùm etiam, quæ a Japonibus colorata eleganter & exculpta afferuntur. Iis tamen, exteriſque omnibus ſpecioſam quamdam caliginem inducunt, quæ Dreſdæ in Miſnia pluſquam Dædalæo opere elaborantur.

Murus. Septum ex arenato & lapidibus, vel lateribus, ordinatim ſuperpoſitis, ad clauſuram, & cuſtodiam. Vide *Mœnia*.

MUSÆUM. Sacrarium, ubi muſæ colebantur. Sumitur pro

T loco,

Digitized by Google

loco, quò viri eruditi ad diſſertationes, & literaria colloquia ſocianda conveniunt.

MUSCARII CLAVI. Vide *Clavus*.

MUSIVUM OPUS. Teſſellatum, ut expoſuimus in tit. *Favi*, *Emblema*, & aliis.

MUTULUS. Quod e lapide, ligno, vel marmore prominet ad aliud ſuſtinendum. *Menſola*, *Beccatello*. Barbarus reddit *Mutolo*: & frequenter in eundem modum, labori declinando, Latina, & Græca vocabula reddit Italicè.

N

NARES. Sunt extrema pars canalium, ex qua aqua egeritur. *Vitr.* l. 7. 4. *Canales fiant, & nares exeant ad locum patentem*. Sunt enim tubi aquarii prominentes e parietibus, a ſimilitudine narium prominentium in vultu humano.

NAVALE. Capax, aptuſque ædificandis, & reficiendis navibus locus. Neque verò naves ſolùm, ſed machinas, tormenta muralia, aliaque organa chalybea, & univerſum nauticum apparatum complectitur. *Arſenale*. Quæ vox non eſt confundenda cum agnato vocabulo *Darſena*; quo nomine non locus ædificandis navibus, ſed earum ſecretius receptaculum, ſtatio tutior, & quaſi interior portus indicatur. De Navalibus duo præcipit Vitruvius l. 5. 12. Primum, ut ad Septentrionem vertantur, nam meridiani poſitus, propter æſtum, cariem, tineas, & alias ejus generis beſtiolas procreant, quæ corrodunt materiam, vitiantque. Alterum, ne conſtruantur lignea, ut evitentur incendia. Proſpici etiam oportet, ut ſint mari, vel fluminibus proxima, ad facilem in aquas navium trajectum. Com-

Commemorandum in primis Navale Athenienſium, mille navium capax, a Philone conditum. Ampliſſimum in Italia Venetiis viſitur, & inſtructiſſimum.

NAUMACHIA. Non modò navalem pugnam, ſed ejuſdem quoque locum ſignificat. Ex uſu pro ludicro & umbratili certamine uſurpatur, quod erat apud Romanos meditamentum legitimi Martis navalis. Rudis primùm Romæ Naumachia: coronatus poſtea ſedilibus locus, ad formam theatri. Præclarum inventum vitiavit inertia Cæſarum. Nam Domitianus Nympharum choros; Nero monſtra natantia induxit. Pro portento demum fuere Circenſes navales, ab Heliogabalo exhibiti, euripis vino redundantibus, ut in ejus vita ſcribit Lampridius.

NERVUS. In machinis vinculum eſt firmius, & adſtrictius. E nervis tortos funes habemus apud Vitruvium l. 1. 1. & alibi.

NESSOTROPHION. Locus, ubi anates aluntur. Colum. l.8.15.

NOSOCOMIUM. Hoſpitium, quo ægroti pauperes recipiuntur, alunturque.

NORMA. Tritum apud mechanicos inſtrumentum, quo anguli æquantur. Componitur ex lineis in angulum rectum coeuntibus, ad figuram literæ L. Anormes planè ſunt, qui cum regula normam confundunt. *Vitr.* l. 7. *Longitudines ad regulam, & lineam, altitudines ad perpendiculum, anguli ad normam reſpondentes exiguntur.* Squadra.

NUBILARIUM. Ædificium agreſte, ubi cælo nubilo meſſis reponitur. Colum. l. 1. 6.

NUCLEUS. Vitr. l. 7. 1. In pavimentis dicitur ſtratum ex teſtulis. Barbarus vocat *Anima*. Eadem ſignificatione in ſtructuris pavimentorum uſurpat hanc vocem Plinius: nec tamen de ea acceptione verba faciunt etiam nuperi Lexicographi.

NUMMI. Non dicuntur a Numa Rege, ut quidam ſcripſerunt; ſed vox eſt planè Græcanica, ut Critici diligentiores autumant. Primus pecuniæ uſus ex corio boum,

Digitized by Google

vel pecudum pelle, ex quo pecuniæ nomen. Durior tamen pellis eligebatur, ut perdiu duraret. Neque verò pecudum nota ſolùm ſignabatur; ſed ex ipſa conficiebatur ovina, vel bovina pelle. Id inventum alii ad Janum, alii ad Numam, ad Servium Regem quidam referunt apud Varronem, & Plinium. Hinc aliqui Marſyam ab Apolline in cantus certamine ſuperatum, & excoriatum, ſic exponunt, ut Apollo Marſyæ loculos evacuaverit; coriumque ei detractum accipiunt pro pecunia, qua rivalem ſpoliaverit. Theſeus, Plutarcho teſte, ut ad agrorum culturam homines excitaret, boum effigie nummos ſignatos vulgavit. A Servio Rege æs ſignari cœptum; nam ante ipſum appenſum ſolvebatur; ex quo ſtipendii nomen a ſtipe appenſa. Ex omni metallorum genere conflati poſtea occurrunt nummi. Nam plumbeos Romæ alibique oblatos ſibi fuiſſe tradit Lipſius; Chriſtianoſtadii apud Svecos erogatos fuiſſe ſtanneos, in ejus urbis obſidione, ſed poſtea meliore metallo permutandos, ſcribit Pignorius *de ſervis*. Ante pecuniæ uſum, commercium rerum permutatione conſtabat. Sed cum minus aliqui indigerent, vulgari pecuniæ ceperunt. Summatim hæc de nummis libaſſe ſit ſatis. Nam quod attinet ad Principum virorumque illuſtrium ſignatas nummis imagines, expreſſaſque veterum memoriarum figuras varias, ex quibus eruditæ ſignificationes, ad vetuſta tempora pernoſcenda anxiè quæſita eruuntur, quemadmodum tractatio ea eſt nobilium ingeniorum ampliſſima, ſic neutiquam anguſtis hiſce notulis noſtri inſtituti eſt coarctanda.

NUNDINÆ. Non ſolùm conventus mercatorum, immunis & liber, ſed locus etiam, ubi conveniunt.

NYMPHEUM. Ædificium publicum, quo aqua derivabatur ad amœnitatem & pompam. *Capitolin.* in *Gordian. Opera Gordiani Romæ nulla extant, præter Nymphea, & balneas.* Non abſimile ædificium cenſendum eſt, quod Romani veteres Canopi nomine frequentabant; parem nimi-

nimirum derivatarum aquarum ambitum, ſedilibus ad ſpectandum præcinctum, ubi depictis lintribus lembiſque devecti, animi & oblectamenti gratia vagabantur. Ejus operis veſtigia quædam & rudera viſuntur hodie Tibure in omnium facilè opulentiſſima, ampliſſimaque Hadriani Cæſaris villa, de qua ita ſcribit *Spartianus* in ejus vita. *Tiburtinam Villam mirè exædificavit, ita ut in ea provinciarum, & locorum celeberrima nomina inſcriberet, veluti Lycæum, Academiam, Prytaneum, Canopum, Pœcile, Tempe vocaret; &, ut nihil prætermitteret, Inferos etiam finxit.* Eam ſtructuram Canopum dixere, a Canopo Ægypti urbe, apud Oſtium Nili, Canopicum inde appellatum; ubi orariis naviculis, pari ſtudio populares vehebantur. *Virg.* Georg. 3.

—— qua Pellæi gens fortunata Canopi
Accolit effuſo ſtagnantem flumine Nilum,
Et circum pictis vehitur ſua rura phaſelis.

O

OBelus, & diminutivè.

OBeliscus. Marmor quadratum, ſenſim gracileſcens, ad formam veruculi. Ab Ægypto inſanis ſumptibus Romam advecti plures; quorum qui ſuperſunt, magnificentiæ veterum Cæſarum teſtimonium, & primarium ſunt Urbis ornamentum. Plurimos ex iis magnitudinis eximiæ recenſet Plinius lib. 36. Sed præcipuam celebritatem obtinuit Thebaicus, non tam quoniam viginti millia fabrorum eidem ſtruendo erigendoque deſudarunt, ſed ob admirabile Regis commentum, qui, cum vereretur, ne attollendo Obelo machinæ pares non eſſent, ejuſdem faſtigio filium ſuum alligavit; prolis periculo, intentato molientibus metu, & ope-

operis ſecuritate quæſita. Inciſi plerumque arcanis & hieroglyphicis notis viſuntur obeli, ut tabulas videantur referre ſapientiæ veterum Ægyptiorum. In iis explanandis laborem impendit P. Athanaſius Kirker Linguæ Copticæ, aliarumque peritiſſimus.

OCTANGULUS, a, um. Octo habens angulos. Apul. lib. 1. de Dogm. Plat.

OCTASTYLOS. Octo columnas habens. Vitr. l. 3. 1.

OCTOGONON. Ædificium octangulum. Ejus exemplum proponit Vitruvius lib. 1. 6. in turri octogona marmorea, quam ædificavit Athenis Andronicus Cyrreſtes, cum exculptis ad latera ventorum imaginibus, ſublatoque ad faſtigium Tritone æneo, qui virga ventorum flatus deſignabat.

OCULUS. Vitr. l. 3. c. 3. Circulus in columnæ Jonicæ centro, quo, tamquam axe, ipſa voluta circumvolvitur. *Occhio della voluta*.

ODEUM. Pars templi, ubi concentus muſici canoris inſtrumentis aſſociantur. Antiquitus odea minora quædam erant theatra, ubi muſicæ concertationes exaudiebantur. Nonnulla Romæ ad id extructa. Pericles Athenis odeum conſtituit. Meminerunt Cicero, aliique cum Vitruvio l. 5. 9.

OECI, orum. Occurrunt apud Vitruvium l. 5. 6. & 7. Dicuntur ex Græco ab habitando. Barbarus exponit cubilia, ubi convivia, & feſta celebrabantur, non ſine interventu fœminarum ſubſervientium. Idem Italicè reddit *Sale*. Aliis cellæ erant in balneis, de quibus *Lucianus* in Dialog. *Liceat tibi per caldaria loto, non per eoſdem Oecos reverti, ſed recta, & compendiaria ad frigidarium redire*. Item memorantur ut partes, & quaſi ſacrarium templi apud Græcos. Aliis poſtremò ſunt partes ædium intimæ ſecretæque, ad uſum fœminarum; ut vix œci differant a gynæceis. Videndus eſt Vitruvius l. 6. cap. 5. & 6. Idcirco etiam editiora loca cenſentur fuiſſe, utpote aditu minus obvia, & inſidiis minus obnoxia.

OENO-

Digitized by Google

OENOPOLIUM. Plautus. Taberna vinaria. Qui domi vinum vendunt, iis eadem pars domus, & cella eſt, & taberna vinaria. *Bettola*

OFFICINA. Vide *Apotheca*.

OPA, æ. Foramen, ſeu ſpatium, quo tigna decumbunt. De iis agit Vitruvius in deſignatione triglyphorum l.4.2. *Letto delle travi*.

OPPIDUM. Multitudo ædificiorum concluſa mœnibus. A vico, & pago mœnibus diſcriminatur; a caſtro, & caſtello differt ſitus amplitudine; & planè oppidum ipſiſſima eſt Civitas. Oſtenditur id etiam ab adverbio oppidò, quod valde, vel multum ſignificat; ortumque eſt a ſermone populari, quo dici ſolet, *Quantum vel oppido ſufficiat*, authore Feſto; in quo nulla vis eſſet, ſi de vico, vel pago diceretur.

OPTROTHECA. Autumnalium fructuum conditorium. Varro l. 1. de R. R.

ORCHESTRA. Theatri pars interior, arenæ proxima, omnium nobiliſſima, ex qua Senatores, & equites ſpectabant, inter cuneos & proſcenium poſita. Pluribus Romanorum orcheſtra gradibus conſtabat, quorum digniſſimus habebatur, qui erat proximus podio, quod pars erat porrecta muro arenæ adjacentis. In eo gradu reliquis latiore, ſuggeſtus erigebatur, ex quo Imperator, Conſules, primæque notæ Magiſtratus cum ſellis curulibus, apparitoribus, & reliqui comitatus pompa ſpectabant. Tribunal ibidem poſitum Munerarii, ſive Editoris, & Virginum Veſtalium ſedes. Aliud orcheſtra apud Græcos: nempe locus, ubi chorus cum cytharœdis, & tibicinibus canebat. Idem fere apud nos orcheſtra, ex antiqua Græcorum conſuetudine. Dixi horum temporum ſimilitudinem referre Orcheſtram Græcanicam: præſens enim cantoribus ſolùm, & inſtrumentis conſtat cum Phonaſco, cantus moderatore. Apud Græcos autem non canentes ſolùm & tibicines, ſed ſaltantes etiam; imò omnis generis viros, fœminas, pueros, cives,

Digitized by Google

cives, exteros, opifices, qui chorum conſtituebant, referebat. Diſponebantur autem in Orcheſtra, certam figuram, gyros, circuitus, modulationem, ſaltationemque ad numerum agentes. Primus erat ad lævam motus, cui cantum aſſociatum ſtrophen appellabant. Eadem poſtea relegebant veſtigia, modulamine edito, cui nomen antiſtrophe inditum. Poſtremò ſtantes modulatu tertio concinebant, quem Epodon vocabant.

ORDINARIUS, a, um. Licèt Feſtus hominem ordinarium vocari ſcribat, qui vilis eſt conditionis, nihilominus purgatiſſimi Scriptores Ordinarium exponunt, quod eſt ordinatè diſpoſitum. Hinc vites, & arbores ordinariæ apud Columellam, quæ ordinem ſervant; milites ordinarii, qui ſervato ordine pugnant, aut commigrant. Eos a catervariis, qui disjecti ſunt globi, *Svetonius in Aug.* ita diſtinguit: *Spectavit ſtudioſè pugiles, non legitimos modò, & ordinarios, ſed catervarios quoque oppidanos*. Vitruvius vero l. 2. 8. ſilices ordinarios vocat, qui non temere & acervatim, ſed ordine ſunt collocati in ſtructura. Vide *Structura ordinaria*.

ORGANUM. Non dicitur ſolùm de pneumaticis, quæ diverſimodum ſonum cient, concepto per folles ſpiritu, diſpertitoque per diſpares fiſtulas. De aliis etiam uſurpatur majoribus inſtrumentis mechanicis. Vitruvius lib. 10. 1. diſtinguit organa a machinis; & has quidem a pluribus, organa ab uno agi poſſe ſcribit.

ORICHALCUM. Sic enim, ut obſervat Voſſius, dicendum potius, quam Aurichalcum. Notione Græca dicitur a monte, & ære, quaſi æs montanum: ex quo veriùs ſcripſiſſe conjiciuntur, qui in eo metallo miſturam ſaltem æris agnoſcunt. Sunt qui ſolo nomine notum exiſtiment, quod Plato videtur indicare in deſcriptione Inſulæ Atlantidos. Cæterùm nativum ne ſit, an fictitium; utrum verò fictitium ſit auro miſtum, an potius genus æris, natura quidem rubrum, ſed cadmiæ admiſtione flaveſcens, vulgo *Ottone*, diverſimode traditur. De ejus præparatione

Digitized by Google

ratione & factura hæc habet *Strabo* l. 13. *In Urbe Andira lapis eſt, qui uſtione fit ferrum, admiſtione cujuſdam terræ pſeudargyrum eliquat, æríque miſtus evadit Orichalcum*. Idem metallum Cyprium paſſim, & coronarium vocatur. Ex eodem ſtatuas elaboratas fuiſſe in urbe Pheneo apud Arcades in Peloponneſo, author eſt Ariſtoteles in *Mirabil.*

ORNITHONES. Varro. Aviarium, ubi omnis generis altilia aluntur. Vide *Aviarium*.

ORTHOGONIUS, a, um. Quod rectis angulis conſtat. Colum. l. 5. 2. *Ager Orthogonius*.

ORTHOGRAPHIA. Definitur a *Vitruvio* l. 1. 2. *Erecta frontis imago*. Sed vide *Icnographia*

ORTHOSTATA. m. g. Quod per modum pilæ arrectariæ debilioribus ædificiis; præſertim angulis, additur in fulcimentum. Vitr. l. 2. 8. *Sperone*, *Barbacane*.

OSTIUM. Sunt qui contendunt oſtium eſſe aditum in cubicula domorum, januam in domum. Sed hujus diſcriminis ratio non ducitur ab optimis etiam Scriptoribus. Oſtium præterea dicimus fauces, ſeu patentes aditus fluminum, quibus in mare ſe exonerant. Oſtium Tiberinum, Nili, Iſtri &c. *Bocca del fiume*, *Foce*, *Valico*.

OVILE. Ovium ſtabulum.

Digitized by Google

P

PÆDAGOGIUM. Pars ædium, ubi aluntur, & equeſtribus inſtruuntur artibus Pueri, qui honeſtam ſervitutem ſerviunt. Ipſe etiam ſic appellatur cœtus puerorum. *Sveton.* in Neron. *Pædagogia ingenuorum*. *Paggieria*.

PAGMENTUM. Pars januæ. Primum, & ſecundum pagmentum apud Vitr. l. 4. 6. Barbarus vertit *Impoſte*. Vi ſpectata vocabuli locum habet poſt Antepagmenta.

PAGUS. Vide *Vicus*.

PALA. Vide *Ligo*.

PALÆSTRA. Notione Græca locus erat, ubi Luctatores uncti oleo, ac ſubinde pulvere aſperſi, ad luctationem ſe exercebant. Latiùs tamen ſumitur pro loco quodlibet exercitationis genus complectente. Vitruvius lib. 5. 11. prolixè Palæſtram deſcribit. Oleum, & Palæſtram ſapere ea dicimus, in quibus nitor potius conſpicitur, quàm robur & firmitas. *Cicero* de *Orat.* l. 1. aptè tranſtulit ad geminum orationis genus, quorum alterum comptum, alterum validum & forenſe: *Nitidum quoddam genus eſt verborum, & lætum, ſed palæſtræ magis, & olei, quàm hujus civilis turbæ, & fori*. Palæſtræ figuram ære expreſſam exhibet Mercurialis *de Art. Gymnaſt.* l. 1. c. 6.

PALANGA. Vide *Phalanga*.

PALATIO. Structura aggerum, vel fulturarum. Duplici modo fiunt palationes. Primùm palis valliſque terræ defixis, & probè colligatis terra congeſtitia, acerato, & tranſverſariis. *Paliſicata*, *Steccato*, *Parapetto*. Iterum aquoſis, & uliginoſis in locis trabes, & aſſeres uſtulati

Digitized by Google

lati dejiciuntur, altèque in terram adiguntur opere fiſtucato. Ex hujuſmodi palatione ſtruuntur ædificia, quæ ut ſcribit Vitruvius lib. 2. 9. permanent immortalia ad æternitatem. Continent nimirum nexus illi uſtulatarum trabium firmiſſimè cæmenta, ad pedamentum injecta; ipſæ verò trabes minimè computreſcunt, ſed obdurant, & quaſi lapideſcunt in validiſſimam colligationem. *Palizzata*.

PALATIUM. Propriè mons Palatinus, qui unus numeratur ex ſeptem Romæ collibus. Sed quoniam in eo loco Evander, & poſtea Romulus, tamquam in Imperii ſede habitarunt, idcirco ad appellationem etiam virorum Principum palatium tranſiit.

PALEARIUM. Locus ubi aſſervantur paleæ. *Colum*. lib. 1. 6. *Fœnilia, paleariaque, & apotheca, & horrea*. Vides ædificium indicari, non metas illas palearum, quæ in pyramidis figuram congeſtæ ſub dio aſſervantur in agris, & communi vocabulo Italis dicuntur *Pagliari*.

PALLADIUM. Ligneum Palladis ſimulacrum, e cælo delapſum in templum Trojanæ arcis, cum ea primùm conderetur. Habitum pro teſſera regni duraturi, donec ibidem eſſet: oculos etiam & haſtam moviſſe eſt creditum. Abſtulerunt in ejus urbis obſidione fatalem ſtatuam Ulyſſes, & Diomedes. *Virg*. l. 2. Æn.

——— Impius ex quo
Tydides ſed enim, ſcelerumque inventor Ulyſſes,
Fatale aggreſſi ſacrato evellere templo
Palladium, cæſis ſummæ cuſtodibus arcis,
Corripuere ſacram effigiem.

Verùm alii aliter id factum enarrant. Ajunt autem poſt reconditum in intimum arcis templum, Palladium, Trojanos aliud illi ſimillimum ſtatuiſſe, quod minus diligenter aſſervabatur: hoc autem Palladium a Diomede, & Ulyſſe fuiſſe ſubreptum; verum autem ab Ænea cum igne Veſtali, & Diis Penatibus aſportatum in Italiam, habitumque uſque ad Romana tempora, tamquam pi-

Digitized by Google

gnus ſecuritatis manſuri imperii. Eam ſtatuam ab Heliogabalo abſtractam a templo Veſtæ, refert Lampridius in ejus vita. Vide Ludovicum Vives in *notis* ad S. Auguſtinum de *Civit. Dei*, ubi ex Dionyſio, Varrone, Plutarcho, & Servio, rem totam enucleatè digerit.

Palmus. Vitr. l. 2. 1. Nobiſcum natum, omniumque promptiſſimum menſuræ genus. Dicitur a palma, quæ pars eſt manus concava, inter carpum & digitos, quæ vola etiam appellatur. Duplex eſt menſura, major, quæ digitos duodecim; minor, quæ quatuor continet. Providè Veteres, ut animadvertit Vitruvius l 3. 1. menſuras ex humani corporis membris collegerunt, digitum, palmum, pedem, cubitum. Ex utraque quippe manu a digitorum numero fit numerus denarius; quem perfectum eſſe numerum ſancivit Plato, cum ultra decem non progrediamur, niſi eodem denario iterum, tertiò, ac ſubinde iterato. Ex digitis verò extenſis habemus palmum: a palmo pedis menſura eſt inventa; ex quo ſemipes & ſexquipes. Numerando ultra decuſſim, qui accedunt numeri, undecim, duodecim &c. non poſſunt eſſe perfecti, niſi ad alteram decuſſim perveniant.

Palus. Sudes ſunt, valli, ligna acuminata, quæ in terram defiguntur ad omnigenas fulturas in re ædificatoria, ruſtica, urbana, & militari.

Pando, as. Eſt flecti, curvari. Dicitur de parietibus, cum extra limites declinant. *Vitr.* l. 6. 11. *Non pandabit materies levata onere.*

Parastatæ. Philander in Vitruvium l. 5. 1. exponit pilas lapideas quadratas, quæ apponi ſolent ad latera columnarum dimidia fere projectura, prominentibus ipſis columnis. *Pilaſtrate*. Favet explicationi vocabulum: nam paraſtatas Latinè adſtantes dixeris. Idem Vitruvius l. 10. 15. habet Paraſtades, quas aliqui confundunt cum paraſtatis, aliis verò ſunt Antæ. Quid ſint paraſtatæ in catapulta, & in inſtructione aciei, præſertim Macedonicæ, expoſuimus in Lexico Militari.

Pa-

Digitized by Google

PARIES. Nonnullis quaſi pares dicitur, quoniam æquales pareſque attolli ſolent. Alii trahunt a parando, ideſt ſtruendo. Structura eſt in altum exſurgens, ad ſuſtinendum pondus tectorum. Frontales alii & angulares, quorum major eſt craſſitudo. Alii intermedii, quibus minor craſſitudo attribuitur. Fiunt opere reticulato, vel incerto. Item ſtructura quadrati lapidis, vel lateritia, & ordinaria, lateribus nempe, vel lapidibus ordine diſpoſitis. Qui acervatim eriguntur ſine arenato, maceriæ appellantur. Inducuntur tectorio, ſive lorica ex arena foſſitia, & calce. Albarium demum ſuperinducitur, quod eſt tegumentum meræ calcis dilutæ. Ante calcis inventum compacti luto, vel bitumine, ut alibi explicabitur. Vide *Mœnia*.

PARIETES CRATITII. Fiunt ex cratibus; nempe conſertis & colligatis aſſerculis, & ſæpe virgis. Suplementum ſunt ſtructuræ firmioris; cæterùm fracturæ & incendiis obnoxia eſt munitio. Idcirco *Vitruvius* l. 2. ejuſmodi munimentis iratus ſcribit: *Cratitii parietes velim ne inventi quidem eſſent*. Graticci.

PARIETARIUS, a, um. Structor parietarius: *vetus Inſcript.* apud Fabrettum.

PARMULA. Munitiuncula in genere prætenturæ, ante loricam, vel arcis portam, ad propugnaculorum hinc illinc prominentium tutamentum. Sola ſæpe diuturnam obſidionem ſuſtinet. Parmulam vocant, quia tuetur propugnaculum, ut parmula ſcutum militis corpus. *Rivellino*.

PARTHENONES. Dictione Græcanica ſic appellantur dicatarum Deo Virginum cœtus & domicilia. *Monaſterj di Monache*.

PAVIMENTUM. Pars in ædificiis plana, ſolum, quod pedibus calcamus. Si Plinio credimus, opere picturato primùm apud Græcos pavimenta ornabantur. Pavita poſtea ex teſtulis diverſi coloris, quæ nuncupantur Lithoſtrata, & Aſarota. Sternuntur hodie lapidibus, vel lateribus fere

Digitized by Google

ſere quadratis : lapillis etiam ſiliceis & teſtaceis, arenato permiſtis. *Laſtricato*. Ex marmore etiam paviuntur, diverſis coloribus variegato. Quæ Plinius l. 36. 25. ſubtegulana vocat & barbarica, duplici modo poſſunt intelligi. Primùm de omnibus, quæ tecto cooperiuntur. Iterum de iis, quæ ſupremæ ſunt contignationis, quæ nec fornicem cæmentitium, nec lacunar contabulatum, ſed tegulas ſolùm habent pro tecto. Exponi etiam poſſunt de iis, quæ fiunt ad latera ædium ſub ipſo tecto, ad excipiendas pluvias e ſuggrundis, ne lædantur parietes. Ea feſtucis antiquitus paviri ſolita, ſternique rudere, & calce. Subdialia curatiùs ſtruenda propter gelicidia, pruinas, & æſtus prævalidos, quibus findi poſſunt. Vide Plinium ubi ſupra, & Vitruvium l. 7. 1. *Pavimento*, *Spazzo*, *Strato*, *Solajo*. De pavimentorum ſtatuminatione, ruderatione, & nucleo, vide dictionem *Ruderatio*.

PAXILLUS. Parvus palus. *Colum.* lib. 8. 8. *Paxillis adactis tabulæ ſuperponantur*. Hoc loco videntur indicari aſſerculi, qui figura quadrata tabulas continent in contignationibus lacunarium.

PECTEN. Idem quod raſtrum in re ruſtica, & ædificatoria. Vide *Raſtrum*.

PECTINATUM TECTUM. Quod eſt in duas partes diviſum, ut teſtudinatum in quatuor. Feſtus.

PECUNIA. Vide *Nummi*.

PEDAMENTUM. Suſtentaculum. *Soſtegno*.

PEGMA. Machinæ genus, fixum, vel portatile, ex ſublicarum, & aſſerum contabulatione varia. In foro theatrico exemptiles erant, occultè ſurgentes, atque iterum ſubſidentes. *Martialis*:

Et creſcunt media pegmata celſa via.

Recenſentur in ludis amphitheatri; ex quo Pegmates apud Sveton. in Calig. 28. Gladiatores dicti, qui e pegmatis certantes vel cædebant ſe mutuò, vel ſolutis compagibus concidentes, ubi feræ, vel ignis aderat, lacerati

rati & combuſti populum oblectabant. De iis Petronius meminit. Vide Caſaubonum in Caligulam Svetonii.

PENETRALE. Templi, vel ædium pars interior, & ſecretior. Et quidem in templis pars erat omnium religioſiſſima. Confundi ſolet cum adyto: verùm Dempſterus partem adyti ſecretiorem autumat. Deorum inde edita reſponſa antiquitus creditum. *Lucanus* l. 5.

—— adyti penetrale remoti
Fatidicum.

Ibidem conditoria extitiſſe cadaverum virorum Principum indicat *Svetonius* in vita Auguſti c. 18. *Corpus Alexandri Magni cum prolatum e penetrali ſubjeciſſet oculis.* A templis ad Regias Principum, & penitiſſimas ædium partes migravit appellatio penetralis. *Virgil.*

—— veterum penetralia Regum.

Stat. Theb. l. 10.

Ventum ad concilii penetrale, domumque verendam
Signorum, magnis ubi dudum cladibus æger,
Rerum extrema movens, fruſtra conſultat Adraſtus.

Ex quo habes in regiis ædibus penetrale publici etiam conſilii locum fuiſſe.

PENSILES HORTI BABYLONII. Inter ſeptem Orbis miracula recenſentur. Immanium ſubſtructionum moles, ingentibus pilis ſuffultæ, & fornicibus ſolidiſſimis arcuatæ, præcelſas arbores ita ſuſtinebant, ut montes ſilvis conveſtiti procul intuentibus viderentur. Meminerunt Dionyſius, Plinius, Strabo, aliique. Sed Curtius lib. 5. prolixè illos, eleganterque deſcribit. Utrum Semiramis illos, an Cyrus condiderit, ambigit Plinius. Curtius a Syriæ Rege conſitos affirmat, ut morem gereret deſiderio Conjugis, quæ in campeſtribus locis nemorum arborumque amenitate frui delectabatur.

PENTADORON. Menſura quinque palmorum. Vitr. l. 2. 3.

PENTAGONUS, a, um. Quinque angulos habens.

PENTASPASTON. Machina tractoria, in qua duo orbiculi in ima trochlea, tres in ſuperiori verſantur. Vitr. l. 10. 3.

PEN-

Digitized by Google

Pentatichæ porticus. Quæ quinque habent ordines columnarum. Trebell. Poll. in Gallien.

Pergula. Porrectus extra ædificinm locus, ſive tectus, ſive ſubdialis; ſive lapideus, ſive ligneus, cujuſmodi ad apertiùs ſpectandum, vel ad tranſitum ex uno in alium locum conſtrui ſolent. Pergulæ magiſtrales memorantur a Vopiſco in *Saturn.* Eas pedaneos, & diobolares magiſtros frequentaſſe, contendit Caſaubonus: contra, illuſtrium Præceptorum extitiſſe, tradit Salmaſius. Fœminarum etiam, quæſtum corpore facientium, pergulas extitiſſe, Plautus indicat. Tit. autem pergula a *pergo*, ut a *rego* regula, a *tego* tegula. *Pergola*, *Corridojo*, *Ballatojo*, *Ringhiera*, *Balcone*.

Peribolus. In re munitoria eſt latius ambulacrum, ubi circitores ad cuſtodiam excurrunt. *Incamiſciata*. Sumi ſolet pro ambitu ædium. Sed propriùs ſpatium erat antiquitus circa templum, arboribus herbiſque conſitum ad culturam, ex uſu ejuſdem templi miniſtrorum. De eo loco Apulejus, Arnobius, aliique meminerunt. Græcum eſt peribolus vocabulum, quod ambitum ſonat.

Perimetros. Latinè ambitus. Vitr. l. *5*. *6*.

Periſterotrophion. Locus, ubi degunt, & aluntur columbæ.

Peripteros. Latinè circum alatum. Pro loco columnis, quaſi alis in gyrum clauſo, ſumitur. Vitr. l. 3. 1.

Periſtylium, & Periſtylum. Quod eſt porticibus in orbem præcinctum. Vitr. l. *5*. 11.

Periſtylum Rhodiacum. Dicitur ex porticibus columnatis unâ ad meridiem locatâ, & altiore. Vitr. l. *6*. 10.

Periterides. Vide *Ancones*.

Perpendiculum. Fabrorum manibus tritum inſtrumentum menſorium. Filo conſtat, & pendente plumbo, gnomone interdum addito. Altitudo perpendiculo expenditur. *Perpendicolo*, *Piombino*, *Archipenzolo*.

Pes, edis. Menſuræ genus, quam Frontinus palmis quatuor, & uncis duodecim definit. Hinc monet adagium,

Digitized by Google

gium, ſuo ſe quemque pede metiri oportere. *Horat.*

Metiri ſe quemque ſuo modulo, ac pede, verum eſt.

PHALÆ. Vide *Falæ*.

PHALANGA, aliis Palanga. Munitio, quæ inſtruitur depactis in terram palis, terræque cæſpititiæ aggeſtione firmatis, nulla admiſtione operis cæmentitii. Excitari nimirum ſolent phalangæ paluſtribus in locis, ubi euripi aquarum, & ſtagna circumfuſa, abunde præſidii afferunt *Palanca*.

PHARI. Turres ad maris oras erectæ, ad miniſterium prælucendi, dirigendique naves ex alto. Id aſſequuntur beneficio ſpecularis thoracii, ex quo fax incluſa prænunciat vel tuta vada, vel hoſtes adventantes. Phari, Solino authore, dicuntur ab ejuſdem nominis inſula in Ægypto, ubi turrim ex albo lapide, inter ſeptem orbis miracula relatam, Soſtrati Gnidii opera, Ptolemæus Philadelphus extruxit. *Fari*.

PILA. Duo apud nos pilæ ſignificant. Primum moles ſaxeas, quæ littoribus præſtrui ſolent, ad portuum præcipuè tutamentum. *Virg.* 9.

Qualis in Euboico Bajarum littore quondam
Saxea pila cadit.

Iterum pilæ ſunt ſtructuræ, figura quadrangulari, plerumque ſtructiles, quæ ſuſtentaculum ſimul præſtant, & ornatum in ædificiis. Baſes iiſdem, & capitula adjiciuntur, nihilo ſecius ac in columnis, cum iiſdem ornamentis, pro multiplici columnarum ordine, quarum magiſterium, & diſpoſitionem omnino referunt. *Pilaſtri*.

PINACOTHECA. Pars ædium, ubi rerum pretioſarum, potiſſimùm verò veterum, ornamenta, depictæve præſertim illuſtrium artificum tabulæ, ex quibus illi ex Græco nomen, aſſervantur. Locus eſt plerumque ad eruditam ambulationem idoneus. *Galleria*.

PINNÆ. Partes ſunt æquali ſpatio diſſectæ in turrium, & mœnium faſtigiis, ex quarum vacuis interſtitiis præſi-

Digitized by Google

diarii miſſilibus certare poſſunt. Ornatum ſimul, & præſidium in veteri munitoria arcibus afferebant. Antiquatum id genus munimenti eſt poſt inventa chalybea fulminalia; & relictum alicubi in ædificiis ruſticis. *Merli*.

PINSATIO. Actus pinſandi, ideſt tundendi, quod vectibus fit in pavimentis, ut ſolidè firmèque hæreat ruderatio. *Vitr.* l. 7. 1. *Rudus vectibus ligneis crebiter pinſatione ſolidetur*.

PISCINA. Propiè ſtagnum, ubi piſces aluntur, artefactum, nec ſine ornatu plerumque vario. Sed latiùs pro quolibet aquarum receptaculo uſurpatur. Perdurat, eminetque etiam hoc ætatis virorum Principum ſtudium in piſcinis nitidè magnificèque expoliendis. Neque enim ibi e plebe piſcibus, & gregariis ſquamis eſt hoſpitium, ſed qui lectiſſimi ſunt, admittuntur. Cato Seſtertium millium quadringentorum ære Luculli pupilli ſui piſcinas divendidit. Licinius verò Murena, & Sergius Orata, ab inventione eorum piſcium prænobilium, quos in vivariis primi concluſerant, ſibi cognomenta aſciverunt. Nimirum, deflexo in imbelles molleſque lautitias ævo, cum ſuperbia & ambitio peſſum laudatos mores dedere, his illi appellationibus claruerunt, pro Africanis, Aſiaticis, & Numantinis. Ad oſtentationem ſiquidem, non ad proventum, aquaria ea ſepta conduntur: magno nempe conſtruuntur pretio piſcinarum ſtructuræ, non minoribus piſces primùm parantur, mox nutriuntur, impendiis. Adjice ſi odoramentorum ſumptus accedant, quemadmodum de Heliogabalo ſcribit Lampridius, qui nonniſi pretioſis unguentis crocoque imbutis piſcinis, natare (nam id etiam ex uſu erat) conſueverat. Quamvis propriè de ſtagno dicantur piſcinæ, in quo vivi aſſervantur piſces; adhuc tamen ſic etiam appellantur aquarum collectiones, alveique artefacti, ad quos potùm ducuntur pecora. Item recenſentur in balneis cellæ piſcinales, adhibitæ in balneis æſtivis. Poſtremò etiam in aquæductibus piſcina

ſcina pars eſt amplior apud Frontinum. Ornari piſcinæ ſolent columellis ordinatim diſpoſitis, cum pilis, aliiſque acroteriis ex marmore, vel opere ſtructili. *Peſchiera*.

PISCINULA. Parva piſcina. Varro.

PISTRINUM. Propriè eſt ubi frumenta, & fruges aliæ atteruntur in pilis. Latiùs acceptum, ædificium eſt, in quo eaſdem fruges comminuunt molæ verſatiles, & truſatiles, circumactæ aquarum, vel ventorum impulſu; item operâ jumentorum, vel ſervorum, quod olim factitatum pro certo ſtatuunt locutiones veterum Comicorum, quæ heros inducunt ad piſtrinum adigere comminantes ſervos improbos. *Molino*. Vide *Mola*.

PLANO PEDE. Idiotiſmus a Vitruvio ſæpe uſurpatus. Ædificia plano pede appellantur, quæ Itali dicimus *a pian terreno*. Opponuntur hypogæis, quæ ſunt ſubterranea; & concamerationibus, quæ ſunt ſuperiora ædificia. Sic autem Magiſter l. 7. 1. *Si plano pede erit ruderandum &c.*

PLASTES. Fictor. Qui marmoratum, nempe opus ex marmore attrito, & calce inducit. *Stuccatore*.

PLASTICE. Ars inducendi marmoratum, fingendique ex argilla, gypſo, creta, aliiſque terræ generibus. Ars figlina. Antiquiſſima eſt, non ſolùm quoniam antiquitus ſtatuæ fictiles erant, ut planè Sculpturæ matrem Plaſticen dixeris; ſed quoniam Deus ipſe primum noſtri generis mortalium e terra formavit. De ea facultate *Horatius* l. 2. Epiſt. 2.

—— *argilla quidvis imitaberis uda*.

PLATEA. A latitudine ex Græco dicitur. Eſt enim ſpatioſus ampluſque in urbibus, vicis, vel pagis locus, ædificiis præcinctus. Differt a foro, quod importatis mercibus, & venalibus victuariis, aditus frequentiæque popularis plus habet, ſed minus elegantiæ.

PLUMBUM. Metallum notum. In plurimis Europæ provinciis ſoboleſcunt plumbifodinæ. India hoc metallo caret, quod permutato auro gemmiſque ſibi ab Europæis comparat.

parat. De pecunia plumbo alicubi ſignata, alibi eſt dictum. Ejus metalli uſus in ædificatoria plurimus eſt ad fiſtulas aquæductuum, quas laminis plumbeis firmiùs quàm teſtaceis concinnant. Quæ ferro ſtructuræ indigent, plumbo liquefacto perforatis in locis adacto obductoque, conſolidant ad diuturnam operis firmitatem. De hujus metalli uſu in medicamentis, & ſcripturis conſule Plinium l. 7. 16., & l. 13. 11.

PLUTEUS, & apud Vitr. l. 4. 4. Pluteum; Cancelli, vel ſeptum marmoreum, vel lapideum, quo intercolumnia ſepiuntur.

PLYNTHIS, idis. Pars, cui columnæ baſis incumbit. Vitr. l. 3. 2. *Spirarum plynthides*.

PLYNTHUS. Pars infima in columnæ baſi, cui ſuperponitur torus. *Plinto*, *Dado*, aliis *Zocco*. Vide *Abacus*.

PODIUM. Porrectus extrà murum locus, aptuſque ad ſpectandum, veluti pergulæ, & meniana. *Poggiolo*, *Palchetto*. Quid ſit podium in amphitheatro, vide in dictione *Orcheſtra*.

PŒCILE. Porticus umbroſa, Athenis magnificè extructa, cujus partem Polygnotus Thaſius gratis, mercede pacta Mycon aliam pinxit. Zenonis, & ejus diſcipulorum diſputationibus celebris. In eadem, quod omnium fere porticuum ornamentum, honoris gratia, & ad imitationem extimulandam, addi ſolebat, illuſtrium virorum ſtatuæ, & res bello feliciter geſtæ, inſculptæ cernebantur. *Cornelius Nepos* in Mithridate: *Huic, qui Athenas totamque Græciam liberavit, talis honos tributus eſt in porticu, quæ Pœcile vocatur, cum pugna depingeretur Marathonia, ut in decem Prætorum numero prima ejus imago poneretur; iſque hortaretur milites, prœliumque committeret*. Hoc etiam ædificii genere Villam Tiburtinam ornavit Hadrianus Imperator, ut in ejus vita tradit Spartianus. Ejus operis non contemnendæ molis porrectus editior murus adhuc ibidem viſitur. *Pecile*.

Po-

Digitized by Google

POLYGONIUS, a, um. Multos angulos habens. Turres, arces polygoniæ. Vitr. l. 1. 5.

POLYSPASTOS. Vitr. l. 10. 5. Machinam multitraham Latinè reddas; nam multis orbiculorum circuitionibus facilitatem, & celeritatem operi præſtat.

POMERIUM. Locus aliis poſt, aliis pone mœnia; captis auguriis poſitus, ſacerque habitus. Palatii radicibus olim Romæ terminabatur: dilatatus poſtea ab iis, qui Rempublicam agris ex hoſtibus captis auxerant, penes quos jus erat proferendi pomerii.

PONS. Ædificium, quo fluviorum ripæ junguntur, ut non vadari ſolùm, ſed etiam pedibus trajici poſſint. Nobiliſſimi Rhodanum Lugduni, Tameſim Londini nectunt. In Italia Veronæ, a Vitruvio Architecturæ Magiſtro, ut fertur, & Florentiæ a Michaele Angelo Bonarota extructus, præcipuè laudantur. Splendidiſſimus eſt, qui Canalis maximi ſpondas Venetiis colligat. Pontes etiam dicuntur immanes arcus, quibus ad compendia viarum juga montium nectuntur. Horum beneficio Sinenſes regnum ſuum, cæteroqui vaſtiſſimum, pervium habent.

POPINA. Locus, ubi omnis generis obſonia cocta venduntur, adiri ſolet a plebe infima; nam ingenui popinam refugiunt.

POPULARIA. Locus in theatri ſumma & media cavea, ubi populus ſpectabat.

PORTÆ. Licèt de quocumque ædificio paſſim dicantur, propriè tamen portæ ſunt muniti aditus in urbes, arceſque, & ædificia publica præſtantis molitionis, ut ſunt ærarium, carceres, & ſimilia; nam janua, & oſtium privatarum potius ædium ſunt nomina. Idcirco portæ ſtructura nobili firmaque eriguntur. Ipſa porro lignea repagula, quæ etiam portæ nominantur muniri ſolent contextu aſſerum duplici, laminis ferreis, claviſque umbellatis probè firmato. Minores etiam portulas ſeris & vectibus ſolidè obarmatas habent, quæ ad urbanos, & bellicos uſus faciliùs recludi obſerarique poſſunt. Portæ ſponte

Digitized by Google

ſponte adapertæ pro ſiniſtro & calamitoſo in publicum omine habebantur. Ante Hieroſolymitanum excidium ſponte reſeratam portam Templi Orientalem, quæ impendio ponderoſa erat, ſcribit Joſephus l. 6. 31. Idem accidiſſe Thebis tradit Cicero de *Divin.* lib. 2. *Virgilius* 2. Æneid. de Troja capta,

Exceſſere omnes adytis, ariſque relictis
Dii, quibus imperium hoc ſteterat.

Appone *Statium* l. 8.

—— per tentoria ſermo
Unus, abiſſe Deos, delapſaque Numina.

Portarum cuſtodiam, ut alibi eſt notatum, Jano Veteres aſſignarunt. Neque enim audiendum ſuſpicor Vincentium Cartari *Imag. de i Dei antichi*, qui Portunum etiam iis tuendis adſcribit per hæc verba: *Giano fu creduto un medeſimo Nume con Portuno, il quale era ſtimato Dio guardiano, e cuſtode delle porte.* Non ſolùm apud priſcos Fabulatores, verùm etiam apud Scriptores alios Portunus habitus eſt Deus marinus, portuum, non portarum præſes & cuſtos. Clariſſime *Cicero de Nat. Deor. Ut Portunus a portu, ſic Neptunus a nando, paulum primis literis immutatis.*

PORTULA. Parva porta. Livius.

PORTICUS. Locus ad jucundam, umbroſamque deambulationem ædificatus. Pompejana Romæ cæteris amplior. Pœcile Athenis, Zenonis, & Stoicorum diſputationibus commemorata. Sed ſummam celebritatem obtinuit, quam Pauſanias Spartæ exædificavit, ornavitque Perſici exercitus devicti manubiis. Eadem captivorum ſimulacra, barbarico veſtis ornatu, ad tectum fulciendum, ut tradit Vitruvius l. 1. 1., oſtendebat. Statuæ inde Perſicæ dictæ ſunt imagines, mutulos, vel quid ſimile ſuſtinentes in ædificiis. Quemadmodum ad ſimile miniſterium Atlantes, Telamones, & Cariatydes adhibitæ ab Architectis.

PORTICULA. Parva porticus. Cicero.

POR-

Digitized by Google

PORTUS. Statio navium, ſive naturæ ſive artis beneficio, tuta ab ingreſſu ventorum, quo, fide publica interpoſita, tutò merces, & venalia importantur, & exportantur; navigia verò omnis generis ſecurè & placidè conquieſcunt. Cum ſæpe naturæ miniſterio non ſint ea loca munita, adjumento artis ſuplenda ſunt, vel corrigenda naturæ vitia. Præſepiendi proinde aditus, præjactis molibus, extructis aggeribus, brachiiſque muralibus ductis ad perpetuam firmitatem, quibus vis fluctuum maritimorum inhibeatur. Speculatoriæ turres, pharique extruendi, qui tuta vada navigiis exerrantibus, aut hoſtes approperantes prænuncient. Tormentis demum majoribus communiendi aditus adversùs vim hoſticam, & piratarum aggreſſiones. Piræum, portum Athenarum, muros altitudine quadraginta cubitorum habuiſſe, refert Appianus; eam verò extitiſſe amplitudinem, ut duos currus obvios facilè caperet, tradit Thucydides. Eundem portum urbi junxit Themiſtocles.

POSTES. Portæ latera lapidea vel lignea. Horum alter fores ſuſtinet affixis cardinibus, alter ſera clauditur, & repagulis firmatur. Dicuntur poſtes, quia poſt fores locum habent.

POSTICA, æ. Varro, &

POSTICUM, i. Horat. Origine adjectiva nomina, uſurpatione migrarunt in ſubſtantiva; nam in *poſtica* janua, in *poſticum* oſtium latet. Oſtiolum eſt occultum, furtivum, & clandeſtinum, in poſteriore domus parte, ut vox ipſa indicat, poſitum. Uſus eſt, ut Domini inobſervati ſe domo poſſint educere, vel alios furtim & clanculo inducere ad familiarem allocutionem. Idem oſtium, Græco vocabulo, ſed a Cicerone non ſemel uſurpato, dicitur pſeudothyrum, falſum oſtium, *Porta ſecreta*. Hinc ſanna poſtica dicitur irriſio furtiva, quæ poſt tergum jacitur. *Perſ.* Sat. 1.

——— *poſticæ occurrere ſannæ*.

Quod aliter ſic expreſſit:

ſe-

Digitized by Google

——— *felix*
O Jane, a tergo quem nulla ciconia pinſit,
Nec manus auriculas imitata eſt mobilis albas,
Nec linguæ, quantum ſitiit canis Appula, tantum.

Poſticæ etiam aderant in Ampitheatro. Erant autem portulæ ad ipſos cavernarum aditus, ubi feræ detinebantur. Diverſus is erat locus a caveis, quæ ferreis claudebantur repagulis, & ad lucem erant expoſitæ, cum ſpecus illæ ſubterraneæ eſſent, & tenebris obſitæ. De poſticis *Ammianus*: *Amphitheatrales feræ diffractis ſolutæ poſticis*. Earum porro meminit Vopiſcus in Probo, qui addit, parum grato ſpectaculo affeciſſe populum feras, cum e poſticis egrederentur. Nimirum cum tenebroſis in locis diu eſſent detentæ, omnis illis vigor elanguit, nec exilire cum alacri poterant impetu, qualem exerebant deductæ e caveis, quæ in luce verſantes magis efferabantur.

POSTICULA. Apul., &

POSTICULUM. Plaut. Parvum poſticum.

POSTYPA SIMULACRA. Vide *Ectypa*.

PRÆCINCTIONES. Vide *Balthea*.

PRÆFURNIUM. *Cato*. Furni oſtium, quo ligna inferuntur. Item locus in balneis ante furnum. Vide *Balneæ*.

PRÆSEPE. Stabulum omnis generis animalium præſepe dicitur. Columella preſſiùs præſepia nuncupat cavitates forulorum ex ligno, & cæmentis, in quibus pabulum beſtiæ ſumunt. *Mangiatoja*. Canis in præſepi: dictum eſt populare, quod uſurpari in eos ſolet, qui nec re quapiam utuntur ipſi, nec alios uti ſinunt; quemadmodum canis in præſepi nec ipſe hordeo veſcitur, nec latrando ſinit eodem veſci equos. Memoratur adagium a Luciano.

PRÆSIDIUM. Non ſolùm dicitur de numero militum, qui cum præfecto ad cuſtodiam caſtrorum, vel arcium detinentur, ſed de ipſo eorum loco ad præſidendum & vigilandum attributo. *Cicero*. *Hæc mea ſedes eſt, hæc vigilia, hæc cuſtodia, hoc præſidium ſtativum*. Vides eadem

Digitized by Google

dem notione accipi vigiliam, & cuſtodiam. *Guarnigione*.

Præsterga. Ambulacrum, vel porticus videtur eſſe apud Plaut. in *Pſeud.* Loggia.

Prætenturæ. Non ſolùm in re munitoria ſunt opera abſciſſa, & disjuncta a loricis, & propugnaculis, ad oppugnatores diutius detinendos; ſed in re ædificatoria ſunt etiam adjectiones porrectæ ad ornatum, vel ad majorem ædificii firmitatem. *Aggetti*, *Sporti*.

Prætorium. Locus ubi Prætor jus dicit; ejuſdem porro in urbe domus, in caſtris tabernaculum.

Procestrium. Locus eſt ante caſtra, ut tradit Feſtus. Nonnullis tamen negotium faceſſit locus *Plinii* Epiſt. ad Gallum de Villa Laurentina, ubi ſcribit: *Poſt hanc cubiculum cum proceſtrio &c.* Sed advertendum mendam ibi cognoſcere optimæ notæ Criticos, qui, expuncto proceſtrio, ſubſtituunt ibi procœtonem, partem domus ante cubiculum, ut mox exponemus.

Proclinatio. Inclinatio in anteriorem partem. Dicitur de parietibus, cum, vitio aliquo exterius flexi, tumore quodam curvantur. *Vitr.* l. 6. 11. *Neque habent in ulla parte proclinationes*. Gobba del muro.

Procœton, onis. Pars ædium ante cubiculum. *Anticamera*.

Prominentia. Eminentia. *Sporto*. *Vitr.* l. 6. 11. *Ut habeant prominentiam, quanta eſt operis craſſitudo*.

Promptuarium. Repoſitorium domeſticum rerum neceſſariarum, ex quo ad uſum facilè deſumi poſſunt.

Promurale. In re munitoria dicitur agger terreus, faſcibus valliſque firmatus, prætentus arcis mœnibus, ex quo foſſam tueri poſſunt præſidiarii, tegumento ſimul ipſis mœnibus præſtito. *Falſa braca*, quaſi falſam & fallacem munitionem nominant. Damnoſum nimirum munimenti genus interpretantur; quoniam hoſtibus aditum facilem ad aſcenſum exhibet.

Pronaus. Structuræ ſpatium ante templum, ad modum

Digitized by Google

porticus, de quo agit Vitruvius l. 4. 4. A Barbarò redditur *Antitempio*.

Proplasmata. Typi, & formæ ex argilla vel creta, ad quarum exemplar & animadverſionem ſua opera elaborat ars figlina. *Modelli*.

Proplastice. Ars conficiendi typos ex argilla vel creta, qui poſtmodum operi deſerviunt.

Propnigeum. Via ante hypocauſtum in balneis. Aliis Æſtuarium, ubi ignis compreſſus ſuffocatur, ad uſum Vaporarii.

Propugnaculum. Potiſſimum arcium munimentum, ad tutandos præſidiarios, hoſteſque infeſtandos juxta idoneum. In angulum prominet, loricis murorum, ſive cortinis, utrinque ſtipatum, quas ita protegit, ut oppugnatores propulſare facilè poſſint. Ab eorum numero tetragonæ, pentagonæ, exagonæ, eptagonæ nominantur arces. Eorum partes ſunt frons, facies, latera, gula, vel colli linea, alæ, auriculæ, oſtiola, de quibus vide Lexicon Militare. *Baluardo*, *Baſtione*.

Propilæum. *Cicero*. Veſtibulum, vel porticus ante templum, vel regiam.

Proscenium. Porrectus ante ſcenam locus cum pulpito, ex quo prodibant fabularum actores.

Proseucha. Locus Romæ a Judæis frequentatus, quo confluebant ad orandum, ex quo origo nominis ex Græco. A contemptu, quo Romæ Judæi habebantur, locus ipſe habebatur deriſui. *Juven*. Sat. 3.

Ede ubi conſiſtas; in qua te quæro proſeucha.

Prostas, adis. Vitr. l. 6. 10. Veſtibulum, porticus.

Prostylos. Columnas in anteriore parte habens. Vitr. l. 3. 1.

Prothyra. *Vitr.* l. 2. 4. *Nos appellamus prothyra, quæ Græcè dicuntur Diathyra*. Philander exponit repagula, quibus arcentur equi & currus a veſtibulis ædium; cujuſmodi ante Principum domos ſunt cippi, aut columellæ lapideæ, vel marmoreæ, ferreis catenis trajectæ. Alciatus

ciatus hoc vocabulum retulit ad interiora repagula ex tabulis conſtructa, quæ dum valvæ aperiuntur, frigoris & aeris ingreſſum prohibent. Hujus generis repagula paſſim occurrunt poſt januas majores ſacrarum præcipuè Familiarum; & in ædibus privatis Nobilium, extra vel intra januas cubiculorum, quæ acceſſu, receſſuque hoſpitum vel ſervorum magis frequentantur. Occupant interdum aliquanto latius ſpatium, fere quadratum, cum janua reductili. Interdum ſola conſtant reductili janua, quæ auro picturiſque illini ſolet, & cryſtallinis ſpecularibus exornari. *Buſſole*, *Contraporte*, *Antiporte*, *Ventole*. Eodem vocabulo notamus repagula ex appenſis tapetibus, aulæis, vel ſipariis, & velamentis, quæ apponi ſolent poſt januas templorum, præcipuè cum maxima eſt frequentia & celebritas, non modò ad arcendum inclementiorem aerem, ſed reverentiæ ſtudio, ut per vias commeantibus, & ſtrepenti ante valvas populo, minus ſit expoſitum Sanctuarium; utque non recto ſtatim agmine conferta ingredientium turba, ſed bipartito per latera repagulorum aditu, decentiùs accedat.

PROTOTYPON. Prima operis forma. Exemplar. *Originale*.

PRYTANEUM. Locus in Athenienſi arce, ubi judicia exercebant Prytanes, qui ſummus erat ejus Reipublicæ Magiſtratus. Cicero.

PSEUDISODOMUM. Vide *Iſodomum*.

PSEUDODIPTEROS. Falſus, fictus, fallax aſpectus duplicis ordinis columnarum. *Vitr.* l. 3. 1.

PSEUDOPERIPTEROS. Falſus ordo alarum ex columnis vel muris. *Vitr.* l. 4. 7.

PSEUDOTYRUM. Falſa janua, Latinè poſticum.

PSEUDOURBANA ÆDIFICIA. Memorantur a Vitruvio lib. 6. 9. Ædificia ſunt ruri poſita, ſed extructa ad urbanam elegantiam. Falsò urbana; videntur nempe talia, ſed non ſunt.

PTEROMA, atos. Bipartitio alarum in ædificiis ex parietum, vel columnarum ordine. Vitr. l. 3. 2.

Ptochotrophium. Diverſorium, hoſpitium publicum, ubi mendici aluntur.

Pulpitum. Editior extra murum locus, ad ſpectandum, vel ad habendum ſermonem ad populum. In re ſcenica locus editus ante ſcenam, ubi hiſtriones agunt.

Pulvinar. Quod in lectorum decubitu capiti ſupponitur. Sternebantur in templis Lectuli Diis, qui in iiſdem colebantur. Eos pulvinaria nuncupant. Acron tabulata fuiſſe cenſet editiora, ut ſimulacra conſpectiùs & ſublimiùs extarent. Utrumque poſitum exiſtimaverim, tabulatum, & deſuper pulvillum. Hinc Lectiſternia, genus ſacrificii cum epulis. Commemoro hic pulvinaria, quoniam frequenter pro templis accipiuntur a Scriptoribus. *Cicero* pro domo ſua: *Aram, & ædiculam, & pulvinar ſub ſaxo ſacro dedicavit*.

Pulvinus, & Pulvillus. Propriè ſtratum ex lana, tomento, pluma, vel re ſimili, ubi quis cubat, vel ſedet. Apud Architectos pars eſt columnæ, quæ alio nomine, cubile etiam referente, dicitur torus. Pars autem eſt ſupra plynthum, infra quadram & imum columnæ ſcapum. Torus verò propriè funis, ſeu potius torta eſt herba, ubi, teſte Servio, Veteres ſedebant, aut diſcumbebant. Hinc Lectus dicitur torus. Pulvillus ſive torus in Architectura Italis eſt *Toro*, *Pulvino*, *Piumaccio*, aliis *Baſtone*, *Baſtoncino*, *Cordone*, *Cordoncino*. Pulvinum, ſive torum, vel torulum in re munitoria extantem & orbiculatam tæniam dicimus, quæ propugnaculi & loricæ ſuperiorem partem ab inferiori dividit. *Cordone*. Structura huic parum abſimilis, quadratæ nempe ut plurimum figuræ in ædificiis urbanis dicitur cingulum, faſcia. *Faſcia*.

Pulvis Putrolanus. Vide *Arena foſſilis*.

Pumex. Lapis ſcaber & cavernoſus, atque idcirco admodum levis, ſtruendis ædificiis non aptatur. Ex diſſectis cruſtis ornamenta præſtat fontibus, xyſtis, ambulationibus, porticibus, aliiſque ſtructuris, quæ ex appoſitis

Digitized by Google

ſitis emblematis elegantiam aſciſcunt, oſtentuique deſerviunt.

PUTEAL. Scriptores, ubi agunt de putealibus Libonis, & Navii, admodum obſcurè & variè puteal exponunt. Aliis umbella eſt, qua puteus tegitur; aliis lapis rotundus, in medio perforatus circa os ipſum putei; & quoniam non aras ſolùm, & ſacella, verùm etiam templa antiquitus conſtat fuiſſe ſub dio, ſimile conſeptum perforatum referunt ad ſacella, & templa Veterum: ut planè mihi referant ſupremam partem concameratam, ſed pertuſam in medio & perforatam in templo, quod Agrippa Jovi, aliiſque Diis fictitiis Romæ poſuit; quod Deiparæ fuit poſtea, & SS. Martyribus piè dicatum. Quòd ſi puteal pro umbella & petaſo explicatur, mihi eſt quid ſimile cellis ſacris umbellatis, cujuſmodi in Romanis Baſilicis undique abſciſſæ in medio viſuntur poſitæ; cum interiori ara ad rem Sacram peragendam.

PUTEUS. Vide *Ciſterna*. In aquæductibus putei ſunt receptacula, diſtributa intra certas ſpatii menſuras, *Vitr.* l. 8. 7. *Putei ita ſint facti, ut intra duos ſint actus*. Vide *Actus*.

PYCNOSTYLOS. Dicitur de columnis crebris, & modico intervallo inter ſe diſtantibus. Vitr. l. 3. 2.

PYRAMIS. Moles ex quadrangulari lataque baſi in acuminatum faſtigium deſinens. Vaſtitas operum, ſi Plinio credimus, qui plurimarum menſuram digerit, humanam fidem excedit. In Ægypto conſtructæ a Regibus. Tres ex iis octo ſupra ſeptuaginta annos exædificatas idem tradit Plinius. Conjecturam inde capias ſumptuum, laborum, & numeri artificum. In omnium ampliſſimam, quæ octo ſoli jugera obtinuit, flumen immiſſum ferunt. Duplex eas extruendi Regibus cauſa; ne coacervatæ opes ad ſucceſſores æmulos pervenirent, utque otioſæ plebi ſeditionum anſæ præciderentur. Inter ſeptem orbis miracula connumeratæ pyramides; ſed non imparis miraculi portentum fuit, ex iis unam, eamque laudatiſſimam

Digitized by Google

mam a Rhodope viliſſimo ſcorto , quæſtu mercenario ſui corporis quæſitis opibus fuiſſe conſtructam .

Q .

QUADRA . Vitr. l. 3. 3. Allucinantur . Lexicarii , etiam nuperi , qui quadram exponunt plynthum . Pars eſt longè minor plyntho . Locum habet in ſtylobatis , capitulis , & epiſtyliis; utque tradit Baroccius , etiam ubicumque in columnis partes exiguæ quadratæque reperiuntur . Eodem Authore Italicè appellantur *Liſtelli* , aliis *Quadretti* , *Gradetti* . In epiſtyliis Doricis , ubi apponitur inter triglyphos ſuperiùs , & guttas inferiùs poſitas , dicitur paſſim *Gocciolatojo* . Nam e triglyphis , qui ſunt capita trabium , acceptas aquas excipit , redditque guttatim . Conſtat autem columnationem marmoream a lignea trabeatione ortum habuiſſe . Quadra a pluribus etiam tænia appellatur .

QUADRANGULUS , a , um . Quod quatuor angulos habet . Plinius .

QUADRATUM . Quid ſit in pavimentis , vide in dictione . *Favi* .

QUADRATURÆ VITREÆ . Memorantur a *Vopiſco* in Firmo : *Vitreis quadraturis , bitumine , aliiſque medicamentis inſertis domum inſtruxiſſe perhibetur* . Specula ſunt ſive abaci , quibus parietes ornabant , ſtructura quadrata . Conſtabant emblematis & figuris verſicoloribus , quæ prominebant probè nexæ colligatæque . Ejuſdem operis rotunda & orbiculata ſpatia conficiebant. *Plinius* l. 35.1. *Non placent jam abaci , & ſpecula , in cubiculo nitentia.* Vide *Abacus* .

QUADRIFORIS , re . Januæ quadrifores dicuntur a Vitruvio lib.4.

Digitized by Google

lib. 4. 6. quarum fores dupliciter complicantur.
Quadrivium. Vide. *Bivium*.
Quinaria. Menſuræ genus in expendendis aquis deductis. Frontinus dictam tradit a diametro quinque quadrantum: quæ ratio in ſequentibus ſenaria, ſeptenaria, uſque ad vicenariam perdurat.

R

Rastrum. Inſtrumentum dentato ferro præfixum. Ruſtici ad glebas confringendas & eruendas; ſtructores ad varios etiam uſus adhibent. *Raſtello*.
Ratiocinatio. Architecturæ pars juxta Vitruvium l. 1. 1. Vide *Architectura*.
Receptus. Vide *Reſectiones*.
Rediviva, orum. Congeries diruti ædificii, ad novam ſtructuram adhibita. *Cic.* Verr. 3. *Rediviva ſibi habeto: quaſi quidquam redivivi ex illo opere tolleretur, & non totum ex redivivis conſtitueretur*.
Reductus, a, um. Reductum dicimus non ſolùm quod iterum eſt ductum, verùm etiam quod eſt retro ductum: *Quintilianus* l. 11. 3. *Ut qui ſingulis pinxerant coloribus, alii tamen reductiora, alii eminentiora fecerunt*: Ubi vides oppoſita eſſe eminens, & reductum. Quod in re pictoria indicat Quintilianus, appoſitè transferes ad opera anaglypha, quæ reducta vocari poterunt, cum paululum ſolùm eminent. Id genus ſimam eminentiam etiam appellamus, ut ſuo loco notabimus.
Regula. Inſtrumentum, quod ad manum ſemper eſt Fabris, & Architectis. Conſtat bacillo recto quadrangulari cum diviſuris inciſis, vel notatis, ad certæ ſecuritatem menſuræ. Ariſtoteles l. 5. Moral. tradit ædificatores Lesbios

regula plumbea uti conſueſſe. Ea verò, utpote flexilis, cum ad lapidis duritiem tranſmoveretur, neutiquam certæ dimenſionis judicia ſuggerebat. Hinc regula vitioſa, Regula Lesbia vocata eſt. *Regola*, *Regolo*, *Paſſetto*, *Canna*, *Mezzacanna*.

Repagulum. Dicitur fere de vecte, peſſulo, pertica, & quocumque objice oſtiis apponi ſolito ad prohibendum aditum. Translatè de quolibet impedimento uſurpatur.

Replum. Occurrit apud Vitruvium l. 4. 6., ubi agit de foribus januarum. Huc delati Interpretes impingunt tamquam in ſyrtes, & ſaxa Capharea. Barbarus exponit ſpatium inter duo cymatia. Turnebus hærere ſibi aquam præfatus, legendum putat peplum, & operimentum exponit ad modum veſtis. Sed mihi prædurum eſt cogitare, Vitruvium inter tot laxioris indumenti nomina, peplum, veſtem Minervæ ſacram, ejuſque, & aliorum factis illuſtribus depictam, in rem ædificatoriam intrudere maluiſſe. Baldus contendit indicari excavatam in valvis partem, quæ media eſt inter ſcapos & tympanum. Si arridet, Lector, hoc Catone contentus abi; ſin minus, meliora Pythia conſule.

Requietorium. Sepulcrum. Vetus Inſcript. apud Grut. *SIBI. ET. CONJUGI. KARISSIMÆ. REQUIETORIUM. FECIT.*

Rescissiones. Vide *Reſectiones*.

Resectiones. In re munitoria ſunt ſecundaria quædam perfugia, & munimenta temporaria a primariis abſciſſa; in quæ, dejectis vel occupatis aliis, recipere ſe tutò poſſunt præſidiarij; atque ibi pugnam redintegrare, & proferre diutius obſidionem, donec ſuperventu auxiliorum, aliiſque moræ beneficijs, oppugnatio diſſolvatur. Dicuntur etiam Reſciſſiones, & Receptus. *Tagliate*.

Reticulatum opus. Vide *Incertum opus*.

Retinaculum. In machinis frequenter uſurpatur. Quidquid aliud quomodolibet continet. *Vitr.* l. 10. 3. *Retinacula ſupra ſcapulas machinæ diſponantur*.

Ri-

Digitized by Google

RIVUS. Aqua a flumine vel fonte deducta, & depreſſiùs fluens. Rivo ſubterraneo aquam fluere, dictio eſt frequenter uſurpata a Frontino, & Scriptoribus de aquæductibus. *Condotto ſotterraneo*.

ROBORARIUM. Locus, ubi animalia aſſervabantur, tabulis roboreis concluſus, antequam muris cingi ea loca cæptum eſſet. Ita ſcribit Gellius l. 2. 20., qui negat vivarium aptè dici cuſtodiam ferarum & animalium, ſed apud Veteres uſurpatam eam vocem pro hortis & viridariis. Vide *Leporarium*.

ROMANUS ORDO. Vide *Compoſitus ordo*.

ROSÆ IN CAPITULIS DORICIS. Vide *Hypotrachelium*.

ROSTRUM. Propriè de avibus dicitur, quo nempe cibum capiunt. Ab ejus ſimilitudine roſtrum propugnaculi vocamus ejuſdem cuſpidem. Item roſtra navium a roſtris avium nuncupata. Et quoniam a captis navium Anteatium roſtris ornatum fuit Romæ ſuggeſtum, ſive pulpitum in foro, ante Curiam Hoſtiliam, idcirco qui ibidem conciones habebant, pro roſtris orare dicebantur.

RUBRICA. Vide *Amuſſis*.

RUDERATIO. *Vitr.* l. 7. 1. *Statuminatione facta rudus inducatur*. Actus eſt ſternendi pavimenta ruderibus. Triplici ſtructura ea tegebantur, ſtatuminatione, nempe ſtrato ex lapidibus, & cæmentis libralibus, ſine calce; ruderatione, quæ opus arenatum, nempe calcem, & arenam addebat, cum lapidibus, vel redivivis, ideſt ex dirutis veterum ædificiis, vel nuper effoſſis: ſuccedebat demum nucleus, qui tegumentum erat ex teſtis contuſis.

RUDUS. Lapidum, teſtarumque congeries. Duplex eſt: novum, quod fit ex lapidibus, teſtiſque, ex integro recènſque contuſis: vetus, quod ex materia ædificiorum veterum, lapidibus nempe, vel lateribus, ut vocant, redivivis, hoc eſt antiquorum dirutis ad nova ſarcienda. *Mora*, *Moriccia*, *Calcinaccio*, *Muraccio*, *Rovinaccio*.

Digitized by Google

RUTRUM. Inſtrumentum, quo calx, & marmoratum ſubigitur. Pallad. 1. 15.

S

SABULO, onis. Vitruvius, &

SABULUM. Idem. Arena craſſior, & vilior foſſitia. Alia mollior eſt, alia durior, quæ ab eodem Vitruvio vocatur ſabulo maſculus. Sternendis viis eſt aptus, ſilicibus ſubſtratus, & vehementer adſtrictus.

SACELLUM. Cicero. Deſcribitur a *Feſto* per hæc verba: *Sacella dicuntur loca Diis dicata ſine tecto*. Muro itaque ſolùm ambiebantur ſacella Veterum; quo etiam modo templa interdum ſubdialia eligebantur, ut alibi eſt notatum. Sacella apud nos ſunt ædiculæ cum ara intra, vel extra templa. *Cappella*.

SACRARIUM. Apud optimæ notæ Scriptores duo ſignificat. Primum Sacellum; ſive ſit Lararium domeſticum, ſive ædicula abſciſſa. Iterum repoſitorium rerum ſacrarum. Non omne ſacrarium proinde eſt locus ſacer, ſolenni nempe ritu conſecratus; cum in loco etiam non ſacrato reponi poſſint res ſacræ.

SALUTATORIUS, a, um. Cubicula ſalutatoria occurrunt apud Senecam de *Conſtan. Sap.* Diverſimode exponuntur. Alii pro ædium parte accipiunt, ubi a patronis, & divitibus excipiebantur ſalutationes clientum, & amicorum. Alii, quos ſequitur Hermolaus in Comment. Plinian. ſacraria in domibus putant, quæ alio nomine dicuntur Lararia, ubi mane Deos ſalutare erat olim apud Romanos conſuetudo, & religio.

SANCTUARIUM. Locus ſacer. Sed quoniam repoſitoria rerum, quæ ſingulari ſtudio clam aſſervamus, habere videntur neſcio quid ſacri, idcirco ea etiam ſanctuaria appellantur. *Plin.*

Digitized by Google

Plin. l. 23. 8. *In ſanctuariis Mithridatis maximi regis devicti Gn. Pompejus invenit in peculiari commentario ipſius manu compoſitionem antidoti.*

SARCULUS, & Sarculum. Inſtrumentum ruſticum: aliud ſimplex, ut Palladius tradit, aliud bicorne. Evellendis herbis utuntur ruſtici; terræ eruendæ ſtructores. *Sarchio*, *Sarchiello*.

SCALA, & Scalæ. Sunt qui differre non parum putent ſcalam a ſcalis; & ſcalam in gradus quidem ſtructilem, ſed mobilem & portatilem putant; cujuſmodi ſunt ligneæ, lineæ, ſericæ, coriaceæ, & ex funibus compactæ: item compactiles, quæ pluribus conſtant partibus, committique & revelli, plicari, explicarique poſſunt: ſcalas verò ajunt eſſe immobiles, & latioribus gradibus perpetuò defixas. Utroque modo rei ædificatoriæ deſerviunt. Nam priores ad alto in loco ædificandum, poſteriores ad habitandi uſum in ædificiis ſunt neceſſariæ. Singulari modo cenſendæ ſunt ſcalæ oppugnatoriæ, quas deſcribit Hero cap. 12. Harum aliæ rotis actæ habebant in faſtigio ponticulum, prægrandibus tignis appenſum, qui conjiciebatur in muros, ad ſtatum hoſtium explorandum. Aliæ firmiores loculos etiam habebant appenſos, qui milites aliquot caperent, & inde miſſilibus decertarent. Vide *Cochlea*.

SCALARIA, orum. Gradus ſunt in theatro, per quos in cuneos aſcenditur ad ſpectandum. Vitr. l. 5. 6.

SCABELLA. In re munitoria ſunt tumuli gradarii ex terra ceſpititia palis obdurata, ante loricam; in quæ identidem præſidiarii inſilire poſſunt, & miſſilia in hoſtes jacere; ſtatim mox ſub lorica ſe occultantes. *Banchette*.

SCALPELLUM. Cicero, &

SCALPER. Celſus l. 8 3., &

SCALPRUM. Ferrum cylindricum, cuſpidatum, fere palmare, quo ſculptores ſcalpunt.

SCALPTOR. Qui ſcalpit. Plin. 37. 4.

SCALPTURA. Scalpendi actus. Plinius.

Digitized by Google

SCALPTURATA PAVIMENTA. Parum diligenter a Grapaldo exponuntur vermiculata, cum vox ipſa doceat inciſa fuiſſe. Hujus generis pavimentum a Romanis in æde Jovis Capitolini primùm poſitum tradit Plinius l. 36. 25. Admirandi operis pavimentum opere ſcalpturato ſive inciſo viſitur Senis in templo Epiſcopali a Beccarino Beccafumo elaboratum.

SCAMILLUS. Parvum ſcamnum. In ſtylobata ſcamilli ſunt impares quidam gradus, quos exhibent oculis partes ejuſdem infimæ ſenſim decreſcentes. Vitr. l. 3.3. *Gradini.*

SCANDULÆ. Occurrunt apud Vitruvium l. 2. 1. Ubi agit de rudibus Veterum ædificiis. Aſſulæ ſunt, tabulæ nempe minutatim diſſectæ, quibus idem Vitruvius cooperta tradit olim tecta adversùs pluvias, non adhuc inventis tegulis. Enumerat etiam regiones aliquot, apud quas ſuo ipſius ævo erant in uſu. Iiſdem ſcandulis tectam fuiſſe Romam annos quadringentos & ſeptuaginta ad Pyrrhi uſque bellum tradit Plinius ex Cornelio Nepote l. 16. 10. Vicos, pagoſque, & oppidula quædam ſimili hodie operimento contecta cernimus, ejuſmodi aſſiculis, ſaxorum libralium copia deſuper firmatis adversùs ventorum impetus. Scandulæ a ſcandendo dicuntur, quoniam aliæ ſupra alias locatæ ſe invicem ſcandere videantur. Critici neutiquam pedarii pro ſcandulis legunt *ſcindulas*, & a ſcindendo exponunt, quoniam ſectæ ſunt tabulæ. Alii contra validè pugnant pro ſcandulis. Non eſt Paride dignum litigium.

SCAPHA. Navis latior & repanda. Ad hujus formam compactum eſt geſtamen ligneum repandum, quo operæ manuariæ ſtructoribus ſubſervientes iiſdem calcem ad opus faciendum miniſtrant. *Schiſo*. Ab hoc geſtamine dicuntur etiam apud Italos fornices repanda ſtructura arcuati: *Volte a ſchiſo*. Suſpicari ſubiit, num forte a ſcypho poculo item repando tam geſtamen commemoratum, quàm relati fornices appellentur. Rem mihi in incerto poſitam in medio relinquo.

SCA-

Digitized by Google

SCAPUS. Propriè dicitur de recto in herbis caule. Vitruvio, & Architectis eſt fuſtis, ſive corpus, & truncus columnæ; quæ pars ejuſdem eſt inter baſim ſive ſpiram, & capitulum: *Fuſto della colonna*. Scapus cardinalis etiam dicitur rectum craſſiuſque lignum, quo inſertæ valvæ vertuntur, cum eas claudi, vel reſerari oportet.

SCENA. Propriè umbraculum ex arboribus conſitis ad formam tabernaculi; ſive artefactum ſit, ſive naturæ opus. In ejuſmodi umbroſarum arborum ramis concameratis rudes ex Actica regione juvenes ruſticis fabulis cantuque detineri conſueverant. Redactis poſtea in urbem Atticis, ornatiùs fabulæ in theatris actæ, ſcenæ, ideſt umbraculi arborei, retento nomine in elegantiori textura. Erat proinde Scena pars theatri ſupra proſcenium, ubi actores aulæis tecti latebant. Triplex refertur Scenæ genus. Aliud Tragicum, quod columnis & ſimulacris erat illuſtratum: aliud Comicum, cum podiis, perguliș, menianis, feneſtriſque ad ſpectandum ex uſu populari: tertium Satyricum, cum effigie ſimulata ſilvarum, montium, & agreſtium ſpeluncarum; ut planè redderet vetuſtam ſcenæ, ideſt umbraculi ſpeciem. Scenam Græcanicam ad extremas lautitias Romani auxere. Picturis ornavit in ludis Claudius Pulcher ad tantam veri proximitatem, ut ad depictas tegulas decepti corvi advolarent, quemadmodum tradit Plinius l. 35. 4. Eodem Hiſtorico teſte C. Antonius ſcena argentea ludos celebravit. Quantæ verò admirationi fuerint exhibitæ a M. Scauro, vide in dictione *Theatrum*. Servire ſcenæ eſt populare proloquium, uſurpatum a Cicerone, quod eſt tempore, & ſæculi moribus aptari; ductum ab hiſtrionibus, qui id unum ſpectant, ut populo placeant. Simile eſt ex *Phocyde* illud;

Temporibus ſemper cautus ſervire memento.

SCENOGRAPHIA. Vide *Ichnographia*.

SCHEMA, &

SCHEMADION, &

SCHE-

Digitized by Google

SCHEMATISMUS. Propriè figura pro delineatione ædificii.

SCHOLA. Locus cujuſvis honeſtæ diſciplinæ tradendæ, & addiſcendæ. A vacatione & laxamento ex Græco dicitur; vel ut eo nomine pueri alliciantur, vel ut moneantur, vacandum ibi eſſe ab aliis curis, & ad bonas ſolùm artes operam conferendam. Vitruvius l. 5. 10. Meminit ſcholarum in balneis; docetque ibi conſiſtere expectantes, donec pateat ad labrum proximum lavandi aditus. Mercurialis porticum fuiſſe exiſtimat: Barbarus repagulum indicari putat, vel ſcamna marmorea ante labrum, ex quibus ſpectabant expectabantque alii, cum ab aliis occupata eſſent ſedilia.

SCIOGRAPHIA. Vide *Ichnographia*.

SCOTIA. Ab umbra dicitur. Pars ſtylobatæ, quæ cavitate ſua umbram jacit. Eadem trochilus appellatur Vitr. l. 3. 3. *Scozia*, *Scorza*, *Cavetto*.

SCULPO. Negat Diomedes vocem Latinam eſſe: ſed optimæ Latinitatis fidem faciunt Ovidius, & Plinius. Propriè dicitur de figuris in marmore vel metallo eminentibus, ut cælare & ſcalpere propriùs de inciſis.

SCULPTOR. Qui ſculpit.

SCULPTURA. Ars ſculpendi. Vide *Statuaria*.

SCUTULA. Quid ſit in pavimentis, vide in dictione *Favi*.

SCYPHUS. Vide *Scapha*.

SECURIS. Vide *Bipennis*.

SECURICULA. Parva ſecuris.

SECURIS DOLABRATA. Vide *Dolabra*.

SEDILIA. Vide *Gradatio*.

SEMICANALICULUS. Dimidium canaliculi, cujuſmodi excavari ſolent in columnis, ad dimidiam, vel aliquam partem ſcapi. Vitr. l. 4. 2.

SEMIFASTIGIUM. Faſtigii pars dimidia. Vitr. l. 7. 5.

SEMILATERES. Vide *Later*.

SEMIMETOPIUM. Dimidium metopæ, idem ſpatium inter triglypos, vel denticulos. Vitr. l. 4. 2.

SEMIPES. Menſura dimidii pedis. Vitruvius.

Digitized by Google

SEMITA. Vide *Callis*.

SENACULUM. Ex verbis Valerii Maximi conjicitur fuiſſe locum, ubi conſiſtebant Senatores antequam in Senatum progrederentur. Sic autem ſcribit *Valerius* lib. 2. 2. *Antea Senatus aſſiduam ſtationem eo loco peragebat, qui hodie quoque Senaculum appellatur; nec expectabat, ut edicto contraheretur, ſed inde citatus, protinus in Curiam veniebat*. Feſto tamen Senaculum locus eſt, ubi ad conſultandum conveniebat Senatus; ut idem fuerit Senatus & Senaculum. Mihi vis diminutivæ vocis ſuggerit, Senaculum minorem fuiſſe conventum, locumque a Curia, ubi Senatores deliberabant, planè diſtinctum. Et quidem Feſtus tria recenſet Senacula. Primum ad ædem Concordiæ, alterum ad portam Capenam, poſtremum ad ædem Bellonæ, ubi audiebantur Legati exteri. Conſtitutum etiam fœminis ab Heliogabalo Matronale Senaculum, tradit in ejus vita Lampridius.

SENATUS. Non ſolùm conventus Senatorum, ſed locus eſt etiam, ubi iidem conveniunt ad deliberandum. Senatum haberi, vocari, convocari, dimitti dicimus. A ſenibus nuncupatur, quorum vis major conſilii: *Ovid.*

A ſenibus nomen mite Senatus habet.

SEPULCRETUM. Propriè locus, ubi frequentia ſunt ſepulcra: Catullus. Uſurpari licet apud nos pro loco, ubi e ſepulcris eruta cadaverum oſſa, prope ipſas, ut ſolet, Eccleſias aggerata, terrenoque aggere cooperta, ſeparatim habentur. *Cimiterio*.

SEPULCRUM. Cum nullæ fuerint tam barbaræ gentes, quæ non probaverint vita functos terræ mandari, parenti antiquiſſimæ, meritò Cicero ingeneratam illam nationum omnium animis opinionem, quamdam eſſe dixit legem monitumque naturæ. Faceſſant proinde venalia illa & jactatoria apud Senecam: Parum intereſſe ſupra terram quis, an intra putreſcat; terræque tegumentum ſupervacuum eſſe non ſentienti. Hinc ſicubi inhumata occurrunt cadavera, ut congeſtitia ſaltem terra tegantur,

tangit

Digitized by Google

tangit omnes religioſa quædam commiſeratio. Hoc Architæ votum apud *Horat.* Lyr. l. 1.

Quanquam feſtinas, non eſt mora longa, licebit
Injecto ter pulvere curras:

Et Palinuri apud *Virg.* l. 6.

Eripe me his, invicte, malis, aut tu mihi terram
Injice.

Etiam in acie coacervatis oſſibus tumuli ex terra aggerebantur, cippiſque defixis, tituli inſuper referebantur, & nomina extinctorum: ex quo more ſepultuarii fines limiteſque ſæpe leguntur apud Authores Gromaticos. Certatum eſt ab omni natione, ut impensè ſplendidèque ſepulcris editis, vita functorum memoriam, quammaxime poſſent, æternam facerent. Neque enim cineribus tantum is honos, ſed naturæ præſtitus ſemper eſt habitus. Irrepſit tamen, ut aſſolet, & officia humanitatis intervertit corrupitque ſuperba & ambitioſa oſtentatio. Inſanis quippe Mauſoleorum, & Pyramidum molibus, eo progreſſum eſt, ut ſæpe ſplendidiùs quàm in aulis viva corpora, in ſepulcris cineres habitent: ut planè fruſtra clamet *Satyricus*.

—— mors ſola fatetur
Quantula ſint hominum corpuſcula;

Cum pauxillum pulveris, interdum jugera occupet. Cæterùm, ut obiter de Veterum ſepultura pauca delibem, nigro quiſque appoſito lapide locum ſibi ad ſepulcrum præſignabat. Ubi verò condendum erat cadaver, aggerebatur terra, & fiebat tumulus: propriè enim tumulus eſt terræ tumor, quæ per aggeſtionem ad uſum ſepeliendi cum elevaretur, ſepulcrum tumuli nomine eſt appellatum. Plebejorum tumuli depreſſiores erant: *Trebellius* in Victorin. *Sepulcra circa Agrippinam brevi marmore ſepta, & humilia.* Editiores tumuli viris Patriciis erigebantur cum titulis, qui ad teſtificationem honoris facerent. Breves illæ erant ſepulcrales epigraphes, majoribus etiam inciſæ literis, & plerumque metro; ut qui eas in

Digitized by Google

in viarum tranſitu legerent, non afficerentur tædio a prolixiore ſcriptura. Moris etiam fuit arboribus, quæ perpetuò virentes eſſent, inumbrari ſepulcra, ut, quantam poſſent, extinctis perennitatem pollicerentur, & molliùs oſſa, atque feliciùs in umbra conquieſcerent. Animadvertendum eſt diverſimode vita functos terræ tradi conſueviſſe apud Græcos, ac apud Romanos. Græci corpora integra, ſuis ſingula arcis vel urnis conjecta, condebant. Quamobrem eorum ſepulcra erant ſubterranea & hypogæa. Romani, qui extinctos comburebant, ſupra terram ſepeliebantur, collectis cineribus in urnas cinerarias, cum titulis, ut dixi, in marmore inciſis, quæ monumenta, ideſt memoriæ, & indices combuſti corporis vocabantur. Ut ad hunc modum diverſus eſſet earum nationum ſuos ſepeliendi uſus, diſpar ratio perſuaſit. Quærenda quippe Græcis fuere loca ſubterranea ne putreſcentia cadavera noxium ſupernè aerem redderent; a quo metu vacuos præſtabat Romanos combuſtio corporum extinctorum. Apud nos, Græcorum more, ſepulcra ſunt ſubterranea & hypogea; nempe ſpecus excavatæ ſub terram, quæ vel confertim aggerata, vel conditoriis & loculamentis diſcreta corpora excipiunt atque cuſtodiunt.

SERRA. Dentata eſt ferri lamina, ligneis anſis, & aſſerculo tranſverſario religata: materiariis, cæmentariis, aliiſque fabris notum inſtrumentum. Operæ manuariæ marmorariæ ad ſecanda marmora utuntur, quæ priùs humenti arena ad ſecturam diſponunt. Serram ducere dicimus, cum altercantes exprimimus, neutro alteri cedere obſtinante animum. Serra præliari, vetus eſt dictum ad indicandum bellum vel prælium, diù æquo Marte tractum.

SIGILLUM. Icuncula, ſtatua exilis, cujuſmodi apponi ſolent in ædificiorum faſtigiis, & acroteriis. *Statuette*. Locum etiam habebant in poculis, vaſis, omnique genere toreumatum. Adhibita inſuper in re magica, &

Digitized by Google

præſtigiis veneficarum. De Nerone multam iis abſurdamque fidem habente ita ſcribit in ejus vita *Suetonius*: *Iconculam puellarem, cum, quaſi remedium inſidiarum, a plebejo quodam & ignoto, munere accepiſſet, detecta confeſtim conjuratione, pro ſummo Numine, trinisque in dies ſacrificiis colere perſeveravit; volebatque credi monitione ejus futura prænoſcere.*

SIGNACULUM ARCHETYPUM. Vide *Forma*.

SIGNINUM OPUS. Quod fit ex teſtis tunſis, & calce detrita. In uſu erat apud Romanos in ſtructuris, præſertim pavimentorum, ob eximiam ſoliditatem. Dicitur a Signa, urbe Volſcorum, ubi ingens ejus teſtæ copia. Memoratur a Plinio lib. 33. 13., & a Vitruvio non uno in loco.

SIGNUM. De ſtatuis frequenter dicitur; vel quia ſcalpello ſignantur, vel quoniam verorum corporum ſunt ſignificationes. Vide *Statua*.

SILEX. Saxum montanum, venæ durioris, percuſſione ignem excutiens. *Virgil.*

—— *ſilicis ſcintillam excudit Achates.*

Eruitur e rupibus, quæ ſunt fodinæ ſiliceæ, commemoratæ a Vitruvio l. 11. Præcipuus ſilicum uſus eſt ad vias ſternendas; quo opere ſuperſunt etiam viarum veterum Appiæ, Flaminiæ, aliarumque longiſſimi tractus. Exagona figura, vel quadrata ad faciliorem uſum aptari ſolent. Farctura interdum arenato miſta alligantur. Firmiſſimo etiam opere nectuntur ſeriatim diſpoſiti, ad modum quadrati laterculi; firmatique & adacti ſine arenato, ſolius arenæ ſpiſſatæ calcatæque vinculo. Etymon ſilicis, quod ab igne intus ſilente Etymologici afferunt ex Varrone, ut, quod ſentio, ingenuè fatear, mihi eſt ſilice ipſo durius & frigidius.

SIMA, æ. Inflexi fere ornamenti genus, quod in ſuprema coronide ſuperponitur, completque trabeationem, & puſillas ſtatuas cum aliis acroteriis ſolet excipere. Sima dicitur, quia obtuſum quiddam habet ad formam naſi caprini. *Goletta*.

Si-

Digitized by Google

SIMUS, a, um. Dicuntur qui nares obtuſas habent. Simam ſcalpturam vocat Vitruvius, quæ depreſſioris eſt anaglyptici. *Rilievo ſchiacciato*.

SIMULACRUM. De ſtatuis dicitur, quæ vera corpora ſimulant, vel aſſimilant.

SIPARIUM. In re ſcenica potiſſimùm uſurpatur; ſcenæque ipſius eſt velamentum, quo hiſtriones teguntur.

SOLARIUM. Vide *Contignatio*.

SOLIDUS, a, um. Solidum columnæ & ſimilium cum Vitruvio Architecti nominant, quod craſſius eſt in iiſdem. *Il vivo della colonna*.

SOLIUM. Accipitur a Scriptoribus pro alveo, ubi lavabant in balneis: *Celſus* l. 7. 26. *In ſolium aquæ calidæ reſupinus demittendus eſt*. *Plin.* l. 33. 12. *Fœminæ lavantur, &, niſi argentea, ſolia faſtidiunt*. Verùm hæc, & quæ afferri ſolent teſtimonia Scriptorum, non tam de alveo, quàm de receptorio, ſive ſedili in alveo exponi poſſunt.

SPECTACULUM. Non ſolùm eſt quod ſpectatur, ſed etiam ſpectandi locus. *Cicero* pro Sext. *Concitatus eſt plauſus ex omnibus ſpectaculis*. *Plautus* Curcul. *Exoritur ventus turbo, ſpectacula ruunt*. Uſurpari ſolet in ludis publicis.

SPECULA. Locus editior ad eminus proſpiciendum & explorandum, ſive ſit pars eminentior in ædificiis, ut ſunt ſolaria, pergulæ, & ſimilia; ſive genus abſciſſæ ſtructuræ, ut ſunt turres per maris oras diſpoſitæ, quæ per ignem, vel fumum ſigno edito, adventantium hoſtium, vel piratarum nuncium referunt. Singulari notione ſpeculas dicimus anguſtas cellulas fornicataſque, in corona murorum locatas, ubi vigilias & cuſtodias agunt ad id miniſterium deſignati præſidiarii; appenſaſque habent nolulas, ad vigiliarum tempus excubitoribus præfiniendum. *Torri di guardia*, *Sentinelle*.

SPECULATORIUM. Specula. Apulejus.

SPECULUM. *Vitr.* l. 7. 3. *Ipſaque tectoria abacorum & ſpeculorum diviſionibus prominentes habeant expreſſiones*.

Digitized by Google

Specula hìc vocat ſpatia quædam in parietibus, opere pićturato, vel cruſtis & emblematis ornato, de quibus ſpatiis dixi in voce *Abacus*. Ejuſmodi quadrata, vel orbiculata ſpatia, & coronide præcinćta, in ædificiis marmoreis, ubi pretioſis lapidibus interſeri ſolent, Itali etiam Architećti nuncupant *Specchj*.

Sphæristerium. Locus ad pilæ luſum accommodatus. In balneis ad eum ludum, & exercitationes alias, deſtinata erant cubicula, quæ ſphæriſterium dicebantur. Eorum locus erat ſupra apodyterium, teſte Plinio *Epiſt.5.6.*

Spicula. Interponi ſolent echinis, caſtanearum ſcilicet involucris, in capitulis columnarum, ad indicandum ſpineos eos cortices ab iiſdem ſciſſos, & adapertos fuiſſe. Nonnulli iis ſpiculis fulminum appellationem obtrudunt: ſed nihil neceſſe eſt nomenclatura tanti terroris ornamenta corrumpere.

Spira. Vitruvio eſt baſis columnæ; quoniam ejus membra, præcipuè ſi plures toros habeat, abire videantur in ſpiram. Spiras autem dicimus flexuras orbiculares, & ſinuoſas, quarum aliæ alias ſic excipiunt, ut in ſe ipſas non redeant, nullæque circulum compleant. Columnæ etiam marmoreæ æneæque ſpirales fiunt. Nulla enim tanta eſt metalli durities, cui induſtria non imperet, & quam non ſubigat labor artificum.

Spoliatorium. Locus, ubi gladiatores in arena mortui ſpoliabantur. Ibidem mactabantur vulnerati, quibus curationis ſpes nulla erat.

Stabulum. Propriè hoſpitium, vel diverſorium, quo peregre profećti ſe ſolent recipere: a ſtando enim dicitur. Frequentiùs tamen uſurpatur pro loco, in quo genus quodvis animalium ad manſionem & pabulum detinentur. Privatim verò ſuas nomenclaturas habent diverſorum animalium fixæ ſtationes, ut ovile, bovile, equile, caprile. Quibuſcumque verò ſtabulum deſerviat, curandum enixe eſt, ut opportunis ventorum flatibus objiciatur, ut fimi ſordiumque congeries repurgari iiſdem poſſit;

Digitized by Google

poſſit; ne fiat illud Augiæ, Elidis tyranni, cujus bubile tria continens boum millia, numquam mundatum, Hercules demum expurgavit: quod facinus inter famigeratos ejuſdem labores non ultimo loco recenſetur. Probè etiam concameranda ſunt ſtabula adversùs ignem, propter fœni, palearum, & ſtramentorum copiam. Subſterni eadem oportet lapide ſiliceo, vel ſabulone maſculo & glareoſo, ut exſorbere lotium poſſit. Ne verò frigidis ventis ſint obnoxia, ad meridiem, quantum fieri poteſt, ſunt collocanda.

STADIUM. Sumitur pro ſtatione, termino, ſpatio curſus, & ipſa curſatione. Continet ſtadium octavam mille paſſuum partem, centumque ac viginti quinque noſtros efficit paſſus. Hoc ſpatium cum uno ſpiritu confeciſſet Hercules, atque ibi ſtetiſſet, eidem menſuræ primus ſtadii originem fecit.

STANNUM. Metallum notum. Tam ſolidum, quàm liquefactum ad plures uſus aptatur in ædificatoria: præterquamquod ex eodem illita, & obducta vaſa ænea, authore Plinio, gratiorem ſaporem reddunt, & ab ærugine vindicantur. De pecuniis alicubi ſtanno ſignatis, ſuperiùs eſt dictum.

STATUA. Vide *Statuaria*.

STATUARIA. Propriè eorum eſt facultas, qui ex metallis, vel marmore imagines conficiunt. Nam ſculptura, quæ antiquior eſt, ex ligno eas format: cælatura incidendo & excavando eas exhibet; Plaſtice ex argilla, vel gypſo rerum formas imitatur. Certat ſtatuaria cum pictura de primatu dignitatis & laudis. Præſtat pictura expreſſione formarum, beneficio colorum, quibus utitur, & quorum varietate diſcernimus montes, flores, arbores &c. parteſque ſingulas animantium; neque enim crines flavos a nigris marmora, vel metalla diſtingunt. Excellit præterea Pictura prærogativa lucis & umbræ, qua magis ad vivum figuræ animantur. E contrario ſtatuaria trinam, ob rotunditatem operis, dimenſio-

Digitized by Google

menſionem explicat, cum ſuperficies ſolùm demonſtret Pictura. Sed præcipuum ejus decus eſt durabilitas, quam ex materia ad perpetuitatem propagat. Contra verò fucus colorum telæque & tabulæ, quæ illos excipiunt, ad longè minora temporum ſpatia perdurant. Utrique tamen facultati parem gratiam habet genus humanum; non ſolùm pro ornatu ædificiorum longè nobiliſſimo; ſed quoniam virorum, quos exhibent, virtute præſtantium formis præmia, quam fieri poteſt, præclaris promeritis reddunt ampliſſima, & ad paria peragenda atque imitanda vehementer incendunt. Dicimus autem ſtatuam rei cujuſvis ſimulacrum ſculptile, quod licèt ex ligno etiam, opere plaſtico, atque adeo ex cera fiat, propriè tamen ex metallo vel marmore erectum ſtatua appellatur. Fit enim ſtatua a ſtando, quod firmatum erectumque opus indicat. Iis primùm elatæ, quorum in Rempublicam præclara extiterint officia meritorum; nimirum ut illuſtrium operum memoriæ tranſmitterentur ad poſteros, ſimulque ut ætas ſera cognoſceret egregiè facta, iiſque publicè vel privatim ſtatuta præmia. Non bellatoribus ſolùm, ſed viris etiam doctrina illuſtribus ea honoris ſignificatio impertita eſt. Hinc Romani Oraculi juſſu, Græcorum laudatiſſimis ſtatuas ponere admoniti, Pythagoræ alteram, alteram Alcibiadi dedicarunt in foro, ut Plutarchus tradit in Numa. Statuarum originem a Nino Scriptores referunt, qui Beli patris effigiem adorandam propoſuerit. Apud Græcos Hermodio, & Ariſtogitoni tyrannicidis primùm ab Athenienſibus poſitas, a Romanis verò Cereris ſimulacrum primùm ex ære conflatum, author eſt Plinius lib. 34. 4. Ab his initiis tam conferta paulatim ſtatuarum copia percrebuit, ut immenſus earum apud Græcos eſſet numerus; Romæ verò vetus fuerit dictum, duplicem extitiſſe populum, alterum hominum, alterum ſtatuarum. Multiplex inde earum genus, iconicæ, Achilleæ, curules, triumphales, nudæ, haſtatæ, loricatæ, equeſtres, pedeſtres. Quemadmo-

Digitized by Google

admodum verò egregio inſtituto factum, ut tam inſigni virtutis teſtimonio Reſpublica præclaris viris præmia, quammaxime poſſet, æterna rependeret; ſic non impari Cæſarum opprobrio, atque dehoneſtamento poſtea effectum eſt, ut mimorum, ludionum, ſcurrarum, ac poſtremò luparum ſtatuis Roma ſilveſceret. Indicare non prætermittam Ageſilai, & Catonis ambitionem præpoſteram, qui ſibi ſtatuas erigi vetuere, in elatioris importunæque ſuperbiæ argumentum conversâ præcipui apud mortales honoris deſpicientiâ. Qui primus ſibi ſtatuam locaverit, Gorgias fuit Leontinus, qui ſibi ſimulacrum erexit in Delphico Apollinis templo. *Tantus erat*, ſubdit *Plinius*, *docendæ artis oratoriæ quæſtus*. Statuæ ab antiquis ita conſtrui ſolitæ, ut earum capita a reliquo corpore eximi divellique poſſent. Hinc apud Svetonium legimus, Caligulam a ſtatua Jovis Olympici avulſo capite, eidem proprium ſubſtituiſſe. Idem factitatum a Commodo, qui a Coloſſo Neronis abſtracto capite proprium eidem inſeruit, ut in ejus vita ſcribit Lampridius. Sed neque prætereundum eſt adnotare, Græcorum ſtatuas plerumque nudas, minus frequenter palliatas erectas; contra verò Romanorum plerumque tectas, & quidem in univerſum loricatas, rarò autem togatas. Quo inſuper docemur, eam nationem longè majorem rependendi honoris curam habuiſſe iis, qui bellica laude, quàm qui urbanis ſtudiis, aut promeritis pace quæſitis florentes eſſent. Præcipua verò pars honoris præſtiti ſtatuis apud Romanos fuit, ut pro aſyli tutamento iis, qui ad eas confugerent, haberentur. Quod tamen minus religioſè obſervatum eſt ab Auguſto, qui, ut Svetonius teſtatur, M. Antonii filium, apud Julii Cæſaris ſtatuam tegentem ſe ſe, abſtrahi inde mactarique juſſit. Deorum porro ſimulacra apud Veteres lignea erant, ut ex Platone, Plinio, & aliis diſcimus; nimirum ſolam fœcunditatis rationem priſcis illis habentibus, pretia verò marmorum & metallorum aut ignorantibus, aut

pro

Digitized by Google

pro morum corruptela, & oſtentatione importunæ ambitionis habentibus. Soli, & Lunæ elaboratas imagines, tamquam inepti genus obſequii, deridet Lucianus. Quid enim tela, vel metallis ea Numina proſit effingere, quæ nativo proprioque lumine explendeſcentia noſtris quotidie oculis obverſantur?

STATUÆ PERSICÆ. Vide *Porticus*.

STATUARIUS. Statuarum artifex.

STATUMINATIO. Vide *Ruderatio*.

STELA, æ. *Plinius* l. 6. 28. *Stelæ lapideæ literis ignotis &c.* Pila, vel columna lapidea. Vocem Græcam Latinus Hiſtoricus Latinam fecit. *Pilaſtro*, *Colonna*.

SCEREOBATA. A ſoliditate ex Græco. Fulturæ genus dicitur ex muro declivi, ad formam anteridis, cui ædificium, vel columna nititur. Vitr. lib. 3. 3. *Muretto a ſcarpa*, *Zocco*.

STIBADIUM. Sella diſcubitoria ſemicircularis, ex herba & frondibus, a quibus ex Græco appellatur, nomen habens; cujuſmodi apud Priſcos in ritu erant pro tricliniis, ut Athenæus, aliique tradunt. Sed luxu valeſcente, ex marmore fieri cepta. *Plin.* Epiſt. 5. 6. *Stibadium candido marmore vite protegitur*.

STILLICIDIUM. Pars tecti, quæ anterius prominet, & pluvias aquas projicit. *Grondaja*.

STRIA. Striæ partes ſunt eminentes inter cavitates columnæ, æqualibus & perpetuis ſulcis inciſæ. Opponuntur illis ſtriges, quæ ſunt partes depreſſæ, & ſubſidentes. *Scannellatura*.

STRIATURA. Vitr. l. 4. 3. Striarum ductus.

STRIO. Strias facio. *Vitr.* l. 4. 3. *Columnas ſtriari viginti ſtriis oportet*.

STRIX. Vide *Stria*.

STRUCTILIS, le. Columnas ſtructiles appellamus, quæ ex lapidibus & arenato fiunt; cui opponuntur ſolidæ, quæ ex uno conflantur marmore, vel lapide.

STRUCTOR. Faber cæmentarius.

STRU-

Digitized by Google

STRUCTURA. Actus ædificandi, vel ipſum ædificium.

STRUCTURA ORDINARIA. Fit ex lapide, ſilice, potiſſimùm verò ex lateribus ordinatim diſpoſitis. *Vitr.* lib. 2. 8. *Non eſt contemnenda Græcorum ſtructura. Non enim utuntur e molli cæmento polito, ſed, cum diſceſſerunt a quadrato, ponunt de ſilice, ſeu de lapide duro ordinariam*. Idem ibidem: *Ex ſilicibus ordinariis ſtruat bipedales parietes*. Propriè ſtructura eſt media inter confectam ſaxo quadrato, eamque quæ conſtat ex congeſto acervatim informi lapide, ſive farctura.

STYLOBATA. Exponi ſolet baſis columnæ; ſed columna etiam avulſo ſtylobata, ſuam habet baſim. Idcirco appellandus potius ſubſtentaculum, ſeu pes columnæ, ex quo dicimus *Piedeſtallo*.

STYLUS. Quid ſit in ſcala cochlide. Vide *Cochlea*.

SUBDIALIA PAVIMENTA. Vide *Pavimenta*.

SUBDIALIS, le. Ædificia, pavimenta, ambulationes ſubdiales, quæ fiunt ſub dio, aperto nempe in loco, ad apricandum, vel ambulandum. Opponuntur illis hypogeæ, quæ ſunt ambulationes ſubterraneæ, vel tectæ.

SUBLICA. Et

SUBLICIUM. Tignum, quo quidpiam ſuſtinetur, vel ſtruitur. De pontibus plerumque uſurpatur, qui ſublicis ſtructi nuncupantur ſublicii. Hujus appellationis Romæ erat pons Æmilius a Coclite defenſus. Ab eodem ponte ſæpius inſtaurato refectoque a Magiſtratibus Pontifices originem nominis habuiſſe, ſcribit Varro l. 4. de L. L.

SUBSCUS, udis. Subſcudes aſſulæ ſunt ligneæ & cuneatæ, quæ inſitæ immiſſæque trabibus eaſdem firmant. A ſuccidendo nominantur authore Feſto. *Sprangbetta*. *Zeppa*.

SUBSELLIUM. Ut vox ipſa admonet, & addocet Varro, aliquid minus eſt ſella; nempe ſella humilior, non conferenda majoribus ſellis præſertim Curulibus. Singulari modo dicitur de loco in theatris, ubi populus hiſtriones recitantes audiebat. Item de Curia, ubi Senatores; & de privatarum ædium tribunalibus.

Digitized by Google

SUBSTRUCTIO. Licèt propriè imæ ſtructuræ partem, & quaſi baſim ædificii notet, accipitur tamen pro quacumque mole inferiùs adjecta; imò etiam pro integro ædificio, elato præjactis operosè fundamentis; præſertim ſi arcubus, pilis, & veteris ſtructuræ ruderibus incumbat.

SUBSTRUCTUM, i. Subſtructio. Vitr. l. 8. 7.

SUBTEGULANA PAVIMENTA. Vide *Pavimentum*.

SUBURBIUM. Spatium prope urbem, vel urbis appendix, cum frequentibus domorum ædificiis, non disjectis, ſed collectis, nexiſque ad modum vici. *Sobborgo*.

SUCCINUM. Idem eſſe atque electrum plerique ſtatuunt. Lapis eſt gemmæ perſimilis. Appoſitè illud Heſychius aurum vitreum, vel vitrum aureum vocat; nam color aureus, materia vitro compar eſt. Mirum in modum Scriptores variant ſuper ejus origine & natura. Calculum alii littoralem, cryſtallinum, alii bitumen terreum putant, ex fiſſuris ſcopulorum in mare defluens: ſunt qui gummi eſſe exiſtiment, aquis marinis congelaſcens. Conſtat liquidum quiddam primùm fuiſſe. Id evincunt muſcæ, culices, formicæ, aliæque beſtiolæ, quæ electrinis maſſulis convolutæ incluſæque deprehenduntur. De ejuſmodi inſectorum ſepulcris, ſupra Ægypti Pyramides, & mauſolea Cariæ demirandis, ludit eleganter non uno in loco Martialis. Ex eo lapide, vel gemma pocula, vaſa, ſigilla, toreumata inciſa vel inſculpta conſpiciuntur. Columnas ex electro habet *Claudianus* de Rapt. Proſerp. l. 1.

—— in celſas ſurgunt electra columnas

Ovidius Metam. lib. 2. Phaetontis in Eridano conſepulti Sorores in arbores populos converſas, earumque lacrimas in electra permutatas canit.

Inde fluunt lacrimæ; ſtillataque ſole rigeſcunt
De ramis electra novis, quæ lucidus amnis
Excipit, & nuribus mittit geſtanda Latinis.

Sunt qui Vati dicam grandem impingunt, eumque locorum violati juris inſimulent; quoniam nuſquam in Ita-

Digitized by Google

Italia, nedum apud Eridanum, naſcantur electra. Non eſt, quod aliò confugiant Critici, ut eum locum ferruminent. Veram & legitimam defenſionem affero ex duplici Eridano. Alius fluvius eſt in Italia omnium maximus; alius ejuſdem nominis Pruſſiam alluvit, & exoneratur cum Viſtula in mare Balticum: *Baudrand* ex Cluverio: *Eridanus*, Rodaun, *amnis Poloniæ in Pruſſia Regia, ex lacu exoriens 25. mill. paſſ. ſupra Dantiſcum. Ibi in Viſtulam fluvium cadit, & deinde paulo poſt cum ipſo in mare Balticum labitur*. Notum eſt autem a mari Baltico ejici in littora vim ſuccini copioſam. Figurata proinde locutione uſus eſt Ovidius; & quod erat Eridani Polonici proprium, in Eridanum Italicum tranſtulit, ut pretioſi ejus lapidis origine eamdem Italiam, ſolum nempe patrium, illuſtraret. Nam ſi per anacroniſmum, & prolepſin fas eſt Poetis anticipare ſpatia temporum, quod Virgilii exemplo nemini eſt ignotum, cur non etiam Poetæ liceat variare quandoque ſpatia regionum, &, quod unius eſt provinciæ proprium, in aliam tranſferre, præcipuè ſi patria eſt.

SUCCULA. Vide *Ergata*.

SUDATORIUM. Vide *Laconicum*.

SUGGESTUS, & Suggeſtum. Quidquid in altum effertur. Duplicem apud nos ſignificationem obtinet: primùm pro ſublimiori loco, ex quo quis verba facit ad populum: Pulpitum. Hac acceptione ſæpe uſurpatur a Scriptoribus, ubi de roſtris Romanorum meminerunt. Iterum notat machinales aggeres, foſſa & vallo munitos, ubi tormenta majora chalybea ſeriatim locantur. *Batteria*, *Cannoniera*.

SUGGRUNDA, æ. Vitr. l. 10. 21., &

SUGGRUNDATIO. Idem l. 4. 2., &

SUGGRUNDIUM. Plin. lib. 25. 13. Porrecta & depreſſior tecti pars, qua imbres procul dejiciuntur a tegulis, ne parietes vitient. *Grondaja*.

SUILE. Stabulum ſuum. Differt ab hara, quæ continet ſe-

Digitized by Google

juncta ſcropharum receptacula cum ſuis ſingularum ſuculis.

SUMMŒNIUM. Locus erat Romæ mœnibus additus, ubi ſcorta proſtabant, ex quo ſummœniana non uno in loco appellantur. Martialis.

SUPERCILIUM. Apud Vitruvium in ſtylobata pars eſt inter ſuperiorem, & inferiorem Scotiam, quæ a Barbaro redditur *Pianuzzo*. In januis verò eſt quod antis ſuperimponitur, terminatque deſuper lumen, ſeu vacuum januæ. Superliminare. *Sopraciglio*, *Sopraliminare*, *Soglia di ſopra*, *Architrave*.

SUPERLIMINARE. Lignum, lapis, vel marmor quod ad formam jugi poſtibus, vel columnis incumbit. *Architrave*. Vide *Supercilium*.

SUSTENTACULUM. Quod aliquid ſuſtinet. *Soſtegno*.

SYMMETRIA. Latinis eſt exacta partium ad totius operis commenſurationem proportio. Definitur a *Vitruvio* l. 1. 2. *Ex ipſius operis membris conveniens conſenſus*; *ex partibuſque ſeparatis*, *ad univerſæ figuræ ſpeciem ratæ partis reſponſus*. Simmetria, Proporzione.

SYSTYLOS. Quod columnas habet ita diſpoſitas, ut inter unam alteramque craſſitudo duarum columnarum pro ſpatio relinquatur.

Digitized by Google

T

TABERNA. Vide *Apotheca*.

TABLINUM. Locus, ubi rationes publicæ, & monumenta rerum geſtarum in Magiſtratu aſſervantur. Plin. l. 35. 2. De eo extruendo agit Vitruvius l. 6. 4. *Archivio*.

TABULAMENTUM. Textura ex trabibus, & tabulis. *Tavolato*. Frontin. Strateg. l. 1. 1.

TABULARIUM. Locus, ubi memoriæ publicæ, litteræ, & acta urbana cuſtodiuntur. Cicero. *Archivio*.

TABULATIO. Colligatio ex tabulis, & aſſeribus. Cæſ. l. 2. Bell. Civ. *Tavolato*.

TABULATUM. Sumitur pro contignatione, ideſt plano, tabulis & trabibus ſtrato. *Solajo*.

TÆNIA. Architectis eſt pars epiſtylii Dorici, cui triglyphi deſuper incumbunt, & inferiùs guttas habet. Aliis *Quadra*. Italis *Liſtello*, *Gocciolatojo*.

TALEA. Surculus præciſus, iterum inſerendus. Nonius exponit præſegmina, ſciſſiones lignorum. In re ædificatoria ſunt graciles rectæque trabes, quibus parietum compages alligantur. *Taglie*.

TALEOLA. Parva talea. Colum. l. 3. 17.

TECTORES. Vide *Dealbatores*.

TECTORIUM. Suprema manus in ædificiis; tegumentum, nempe parietum. Primum eſt loricatio ex arenato: accedit aliud ex pura calce, nempe albario.

TECTUM. Colligatio lignorum, imbricum, & tegularum in ſuprema ædificii parte, qua teguntur reliquæ, & ab imbribus, & gelicidiis proteguntur. Templa pectinata, apud Romanos erant in duas partes devexa. Plana populi Aſiatici, Græcique habebant tecta ædium privatarum;

Digitized by Google

rum; templorum verò faſtigiata. Planæ proinde privatæ ædes tranſverſis trabibus ſuſtinebantur; projecta verò ad modum ſolarii tecta, & deambulatoria patebant. Nec tamen carebant ambitu lapideo, conſeptoque ad prohibendos lapſus. Contra verò ædes ſacræ faſtigio ornabantur; imò pluribus aſſurgebant, iiſque triangulari forma faſtigiis, quæ trichora appellabant. *Statius*:

—— partitis diſtantia tecta trichoris.

Ad hæc ſupra ipſa faſtigia addebantur ornamenta, cujuſmodi erant ſtatuæ Deorum, & victoriarum inſignia, quæ acroteria vocabant. Hinc *Cicero* Philipp. *Majorem honorem conſequutus erat, ut haberet pulvinar, ſimulacrum, faſtigium, Flaminem*. Ubi faſtigium non eſt tecti culmen, ſed acroterium, præter morem privatarum ędium in virtutis præmium, & ſignificationem conceſſum.

TECTURA. Tectorium. Pallad. 1. 15.

TEGULA, & tegula hamata. Vide *Imbrex*.

TELAMONES. Viriles ſtatuæ, quarum adjectionibus Architecti utuntur ad ſuſtinendos arcus, mutulos, podiola, & ſimilia opera fornicata; quo modo fœmineas ſtatuas Caryatides ad idem adhibent miniſterium. Sed cur ejuſmodi ſtatuæ viriles Telamones nominentur, Vitruvius ipſe l. 6. 10. ignorari ſcribit. Philander ex Ennio apud Servium affirmat Telamonem Latinè, Græcè Atlantem dici. Id verò Baldus ab Ennio non dictum, a Servio cenſet gratis dictum. Solicitat quidem poſtea Baldus originationem Græcanicam a voce conſimili, quæ *miſerum* ſonat: verùm ea mihi minus arridet; & acquieſcendum planè exiſtimo effato Magiſtri, qui Telamonis etymon ignorari ſcribit. Subſequentes Architecti addiderunt ſubſtentandis oneribus, Panes, Satyros, Sphynges, & quidquid monſtroſi ingenium ſuggerit ad explendas cavitates, & adjectiones ædificiorum fulciendas. Nam ſtatuas Perſicas ad eadem opera ſuſtinenda cum ipſis Telamonibus olim adhibitas extra omnem dubitationem eſſe cenſeo.

TEM-

Digitized by Google

TEMPLUM. Non dicitur a tuendo, ut tradit Varro, & a Scaligero, & Voſſio meritò improbatur; ſed ex Græco a ſecando, quoniam ſit pars cæli, vel agri a reliquis reſecta, quam lituo notatam ad capienda auguria præfiniebant Augures, quæ propria eſt templi appellatio. Quoniam verò certo ritu formulaque is locus Diis dicabatur, hinc ſacer in urbibus locus, & Diis dicatus, Templum eſt appellatum. Proinde antiquitus templa aperta erant & ſubdialia. Additum templis poſtea tegumentum, cum in iis cogi Senatus, & haberi cæpta Senatuſconſulta, quæ, niſi ſacro in loco fierent, irrita habebantur. Idem præterea Antiquis fuit Curia, & Templum; & in Hoſtilia quidem Curia non ſolùm religioſi ritus, ſed cauſæ etiam, lites, & omnis generis negotia publica agitabantur, ut ex Livio, Varrone, & aliis ſit teſtatiſſimum. Hinc *Virgilius* l. 7.

Hinc ſceptra accipere, & primos attollere faſces
Regibus omen erat: hoc illis Curia Templum.

In templis præterea apud Veteres ærarium conſtitui ſolitum erat; & Romæ quidem conſtitutum in æde Saturni. Sacrum nempe & inviolabile exiſtimabant quidquid ſacris ædibus traderetur in cuſtodiam. Templi ſtruendi ſymmetrias digerit Vitruvius l. 3. & 4. Poſtremò in re ædificatoria Templa appellantur tigna, quæ in ſtructura tectorum tranſverſa cantheriis ſuperponuntur; quibus templis additi aſſeres tegularum pondera ſuſtinent. Ea tigna a Barbaro redduntur *Tempiali*. Vulgò *Paradoſſi*.

TEMPLUM DIANÆ EPHESIÆ. Ejus exædificatio centum & viginti annorum, teſte Plinio, ſpatium tenuit; tota Aſia impendiis, & artificum laboribus adnitente. Inter ſeptem Orbis miracula recenſetur. Columnas viginti ſupra ducentas habuit eximiæ altitudinis Chteſiphon Architectus operi præfuit. Ex eadem regione eventu fortuito marmor inventum. Cum enim Pixodarus Paſtor arietem vidiſſet e ſaxo, quod cornu currens percuſſerat, cruſtam candidiſſimi coloris excidiſſe, ſublatam illam detu-

Digitized by Google

detulit ad Epheſios, de aliis marmorum generibus coemendis cogitantes; qui lectiſſima marmoris vena cognita, ex eodem Templum ædificarunt. Summis iidem honoribus affecerunt Pixodarum; permutatoque inſuper eidem nomine, ſtatuerunt, ut Evangelus in poſterum diceretur, ab opportuno inventi marmoris nuncio.

TENSIO. De funium atque nervorum tenſionibus in re machinali ſæpe agit Vitruvius.

TEPIDARIUM. Pars balnei, ubi tepida continetur aqua. Vitr. l. 5. 10. Vide *Balneum*.

TEREBRA. Ferrum ſpirale acutum, cum ligneo manubrio, aptum ad perforandum. Dædali inventum fuiſſe ſcribit Plinius l. 7. 56. *Trapano*, *Succhio*, *Succhiello*, *Trivello*.

TERMINUS. Deus a Veterum ſuperſtitione habitus. Colebatur ad imaginem informis rudiſque lapidis; eique, ut ait Feſtus, ſacrificabant; quod in ejus tutela fines agrorum eſſe crederent. Terminalia etiam feſta eidem celebrata. Termini porro in agris cippi erant & columellæ lapideæ. Interdum etiam arbores, quæ ideo Terminales appellatæ. *Ovid.* Faſt.

Termine, ſive lapis, ſive es deſertus in agris
Stipes.

Item *Tibullus* l. 1. 1.

Nam vereor, ſeu ſtipes habet deſertus in agris,
Seu vetus in trivio florida ſerta lapis.

TESSELLATUM OPUS. Vide *Emblema*, & *Favi*.

TESTA TUNSA. Fragmenta ex lateribus, vel vaſis, omnique opere fictili, probè contuſo. In ruderatione pavimentorum ea utendum præcipit *Vitruvius* l. 7. 1. *Ruderi novo tertia pars teſtæ tunſæ admiſceatur*. Idem Magiſter præſcribit mòdum, quo certum experimentum capere poſſumus de eadem ſtructuris idonea. Collocetur illa ſub dio: ſi gelicidiis & pruinis tacta vitium non prodet, ad uſum erit proficua; ſecus, rejicienda eſt a ſtructoribus.

TESTACEA SPICATA TIBURTINA. *Vitr.* l. 7. 1. *Item teſtacea ſpicata Tiburtina ſunt diligenter exigenda, ut non habeant*

beant lacunas, *nec extantes tumulos*, *ſed ſint extenſa*, *& ad regulam perſricata*. Teſtulæ ſunt, ſcutulæque ad figuram amygdalæ, vel rhombi, quibus ſternuntur pavimenta. Spicata dicuntur, quoniam in acumen deſinunt ad modum ſpicæ. Tiburtina appellari cenſeo, neutiquam quoniam eruantur ab ipſis fodinis Tiburtini marmoris, quod minimè eſt teſtaceum; ſed quoniam conficiantur ex teſtis ad eas figuras ſectis, quæ in agro Tiburtino ingenti copia crebreſcunt, & duplicis ſunt generis. Aliæ ſunt coloris albi, maſſæque ſunt teſtaceæ, & nonnulla terræ admiſtione concretæ, quæ facilè eruuntur, & ad ædificia præſertim in coronis faſtigiorum aptantur. *Teſtine*. Aliæ ſunt coloris ſubnigri, & interdum ſubſulvi; ſed admodum pumicoſæ, cavernoſæque; in figuras porro varias naturæ ingenio imbricatim & canaliculatim elaboratæ, quibus ad fontes, & frontes ædificiorum appoſitis cruſtis ornandas utimur. Horum lapidum, ſive teſtarum in eodem agro Tiburtino ſingularis item eſt copia prope exiguum ſtagnum, non ita longè ab Albula disjunctum, quod ab iiſdem ſcrupoſis lapidibus vocatur *Lago de' tartari*.

TESTUDO. A teſtaceo hujus noti animalis tegumento, quod chelonium dicitur, Architectura ædificatoria mutuata eſt genus operis concamerati, quod conſtat duobus arcubus ſe in centro ſecantibus. Sunt autem quatuor pilę arcuatæ, invicem tranſverſæ, & crucis figuram ſimulantes. *Volta a Croce*, *Crociera*, *A Vela*: nam veli etiam formam referunt anguli quatuor ejuſdem fornicis. Simili ſtructura arcuantur etiam tecta, quæ Vitruvius teſtudinata appellat. *Padiglione*. In templis demum uſos artifices a *Virgilio* diſcimus:

—— media teſtudine templi
Septa armis, ſolioque altè ſubnixa reſedit.

Et quoniam ejuſdem teſtudinis concameratum operimentum quadratis quibuſdam diviſuris ad formam teſſellarum diſcriminatur, artifices inhærentes naturæ ingenio, ar-

 teſacta

teſacta ſæpe indicantis, ſimile ornamentum in variis, pro cujuſque arbitrio, ædificiorum partibus commenti ſunt: & in hanc ſententiam exponendus *Virgil.* Georg. 2.

Nec varios inhiant pulcra teſtudine poſtes:

Neque enim in poſtibus locum habet arcus teſtudinatus, ut parum diligenter traditur a Lexicariis. Ejuſmodi certè teſſellarum ornamentis non unas januas illuſtratas proponit Baroccius in ſuis januarum iconiſmis.

TESTUDINATUM TECTUM. Quod eſt in quatuor partes diviſum, ut eſt expoſitum in dictione *Teſtudo*.

TETRADORON. Menſura quatuor palmorum. Vitr. l. 2. 3.

TETRASTYLOS. Quatuor columnas habens. Vitr. l. 3. 2.

THALAMUS. Cubiculum, ſed propriè nuptiale, cui oppoſitus, ſed tamen prope erat antithalamus, cubiculum Ancillarum, ut præſto eſſent ad Sponſi, vel Sponſæ nutum. Sic enim legendum eſt apud Vitruvium l. 6. 10., ubi agit de diſpoſitione cubiculorum, more Græcorum, & non *amphithalamus*.

THEATRUM. Ampla ad publicè ſpectandum pars Civitatis. Differt ab Amphitheatro; primùm, quoniam Theatrum eſt ad formam hemicycli, & anterius ſcenam habet, quæ ab uno ad alterum cornu porrigitur; Amphitheatrum verò ſcena caret; ſed diſpoſitis in orbem ſedilibus extenditur. Præterea Amphitheatrum duobus conſtat hemicyclis junctis, & ovi potius quàm circuli ſpeciem exhibet. Poſtremò in theatris ludos ſcenicos celebrabant hiſtriones; in Amphitheatro Gladiatores, & Circenſes ſpectabantur. Parum cognita antiquitus Romanis theatra; nec niſi ad libellam inſtitutæ diſciplinæ ſeverioris habita. Luxu poſtea valeſcente, admirabili magnificentia percrebuerunt. Odoramentis croceis reſperſa tradit Plinius l. 21. 6. Contecta carbaſinis velamentis, atque adeo purpureis a Q. Catulo. Vide commemoratum *Plinium* l. 36. 15., ubi præcipuè recenſet Romanorum theatra; potiſſimùm verò exhibitum a M. Scauro, de quo ita præfatur: *Opus maximè omnium, quæcumque fuere*

fuere humana manu facta, *non temporaria mora*, *verùm etiam æternitatis deſtinatione*. Conſule etiam Vitruvium l. 5., ubi de theatrorum ſymmetriis latè ſcribit. Vide *Scena*.

THERMÆ. Balnea aquarum ſuapte natura calidarum, quarum uſus ad lavandum, vel excitandum ſudorem. Uſurpari etiam ſolent de balneis artefactis; cujuſmodi extructas a Nerone tradit inter alios Martialis. Thermæ notione Græca calorem ſignificant. Hinc Thermopylis appellatio, anguſtiis nempe Oetæ montis in Teſſalia, ubi calidæ aquæ Herculi ſacræ habebantur, quibus celebritatem nominis Leonidas, & ſocii milites victoria adversùs Xerſem, & ſua clade fecerunt. Publicas privataſque Thermas Roma frequentabat. Quanta verò magnitudine & artificio ſolerent extrui, ruinæ, quæ ſuperſunt, abunde teſtantur. Crebreſcunt ubique gentium, ſed non priſca illa magnificentia, præſertim in Italia ex aquis medicatis, & plerumque tepentibus, non ſolùm ad munditiam, & voluptatem, verùm etiam ad languores tollendos idoneæ & ſalutares. Præteritis aliis injurius fuero Cælo, Urbique Tiburtinæ, ubi hæc ſcribo, ſi nullam fecero earum mentionem, quæ ad omne morborum genus prohibendum perutilia meritò exiſtimantur ad ſcatebras Albulæ, amnis ſulphurei, qui, brevi decurſu exacto, in Anienem devolvitur.

THOLUS. Exponit Servius ſcutum veluti quoddam eſſe in medio tecto, in quo trabes coeunt, ad quod dona ſuſpendi conſueverant. Ex optimæ notæ Scriptorum teſtimoniis ſummitas eſt teſtudinata, tam in ſacris, quàm in profanis ædificiis. Quamobrem tutò uſurpari poteſt pro ea in templis noſtratibus parte, quæ nixa quatuor pilis, & totidem arcubus inſiſtens, ſupra fornicatum templi tectum in orbem fere extollitur, cum adnexo deſuper thoracio, ſublatoque ſacroſanctæ Crucis ſigno, pilæ æneæ inſidente. *Cupola*. De tholo meminit Vitruvius l. 7. 5.

Digitized by Google

Thymele. Notione Græca aram ſignificat. Sumitur in re ſcenica pro editiore loco in orcheſtra Græcanica, ubi muſica inſtrumenta pulſabantur. Hinc Thymelici apud Vitruvium l. 5. 8. qui muſici erant ſcenici, fidibus, & cytharis præcinentes.

Thyroma, atis. A Vitruvio perpetuò Græciſſante, Græco vocabulo oſtium appellatur l. 4. 6. Thyromatum genera ſunt Doricum, Jonicum, Atticurges.

Tibicen. Trabis, ſeu tigni genus, quod tectis, vel muris ruituris ſupponitur. Non dicitur a tibia, muſico inſtrumento, quaſi tibicen ſuſtineat ædificium, ut tibiæ ſonus canentes, in quo cum Feſto decepti ſunt Lexicarii: dicitur autem a tibia crure: ut enim hæc corpus, ſic Tibicen parietes fulcit. *Puntello*, *Soſtegno*.

Tigillum. Parvum tignum. Ut a ſigno fit ſigillum, ſic a tigno Tigillum. *Travicello*.

Tigniarius. Fabri tigniarii apud Ciceronem in Brut. non ſolùm ſunt, qui expoliunt dolantque ligna; ſed etiam qui eadem ad uſum ædificiorum aptant atque diſponunt.

Tignum. Feſtus differre tradit tignum a trabe, quoniam hæc duo complectitur tigna coaptata. Scriptores omne ligni ædificatorii genus indiſcriminatim tigna appellant, præcipuè verò ligna majora.

Tophus. Genus lapidis ſcabrum & pumicoſum; idem lapide ſiliceo longè levius. Diſſecatur alicubi in quadratam figuram ex jugis tophaceis, labore, ſi compendii ratio ducatur, non admodum gravi. Laudatur in ornamentis xyſtorum, & ambulationum, ac præſertim in fontibus extruendis. In ædificiis ſtructuræ eſt facilis, creſcitque ex illis mirè adauctum opus præ manibus. Sed ob lapidis levitatem minus eſt firmum; præcipuè verò ſi ſtructuræ lateritiæ conferatur. In faſtigiis domorum commodiùs locantur, neutiquam verò in ſubſtructionibus, præſertim ſi iis lapides montani ſilicei ſuperponantur.

Tophaceus, a, um. Vide *Arenaceus*.

Topiarium. Vide *Lignum*.

To-

TOREUMA. Opus ex ære, argento, vel auro cælatum. Dicitur de vaſculis, poculis, menſis, & ſimilibus. Cicero.

TOREUTICE. Ars conficiendi toreumata. Plinius.

TORUS. Vide *Pulvinus*.

TORULUS. Parvus torus. *Piumaccetto*, *Baſtoncino*. Vide *Pulvinus*.

TRABS. Si Feſto credimus, dicitur de duplici tigno ſimul compacto. Paſſim tamen apud Scriptores de uno, ſed proceræ magnitudinis uſurpatur. Trabes proxima ſunt materia facultatis ædificatoriæ. Uſus earum varius. Præcipuarum nomina, rectæ, arrectariæ, tranſverſariæ, compactiles, tractoriæ, everganeæ &c. Ex marmore etiam fiunt: & Plinius quidem l. 36. 8. Ægyptios obelos trabes vocat. Plumbeas etiam conſtructas in re oppugnatoria ſcribit Polyænus l. 6.

TRANSENNA. Contextum ex tranſverſis ligneis, vel ferreis virgulis & aſſiculis, quibus conficitur. Eſt enim repagulum cancellatum vel reticulatum, quod in ædibus pro feneſtris, apponitur, vel ante merces venales obtenditur ad ſecuritatem. Fiunt etiam ex vitro pellucido; præſtantque proſpectum liberum, ſine aeris parum clementis incommodo. Proſpicere per tranſennam dicimus, non penitus, ſed obiter & procul inſpicere; ut qui negotiatorum merces proſpiciunt per cancellos iiſdem prætentos. *Geloſia*, *Raſtello*, *Ferrata*. Etymon vocis *Tranſenna*, quod parum diligenter ab aliis traditur, planè aſſequutus eſt Servius ad illud *Virgilii* l. 5.

—— *volucrem trajecto in fune columbam*,

vocem illam *trajecto*, exponit, extenſo. Ex quo addit tranſennam vocari funem extenſum. Et de extenſo quidem fune, ſive reticulo, vel funiculis cancellatis, exponendus eſt *Plautus* in Bacchid. ubi de ſene, mox dolis capiendo ſcribit:

Nunc ab tranſenna hic turdus lumbricum petit;
Pendebit hodie pulcrè.

Niſi potius hunc locum non tam de reticulo cancellato, quàm

quàm de reſticulo tenſo in arcuata virga explicari oporteat. Ad eum nempe arcum, appenſumque lumbricum (alii formicam alatam appendunt) turdi accurrentes hærent nodo alligati: quod genus tendiculæ, vel potius pedicæ venatoriæ dicitur *Archetto*, *Lacciolo*.

TRANSTILLUM. Parvum tranſtrum, Vitr. l. 5. 12.

TRANSTRUM. In textura tectorum tranſtra apud Vitruvium l. 4. 2. ſunt trabes ſive aſſeres tranſverſi.

TRIBUNAL. Sumitur pro quovis loco, ubi jus dicitur. Apud Romanos ſtructura erat arcuata editior, ex qua conſpici Magiſtratus ab omnibus poſſet. Locata ibidem ſella curulis, ex qua Prætor judicia ferebat. Vitruvius l. 4. 1. deſcribit Tribunal, quod in Baſilica Julia ipſe conſtituerat.

TRICHORUM. Memoratur a Statio l. 1. 3. Exponi ſolet domus tripartita, quæ tres contignationes, vel in una contignatione tria habet diſtincta habitacula. *Appartamenti*. Quoniam verò eadem vox legitur apud Spartianum, mendoſum locum cenſet Salmaſius, & Trichoro ſuſtituit Trigonum: exponitque ædes Imperatorias, vel templa ad formam triangularem in faſtigiis acuminata. Vide *Tectum*.

TRICLINIUM. Non ſolùm dicitur de tribus menſis diſcubitoriis, ſed de ipſis cœnationibus, nempe cubiculis, ubi triclinia erant diſpoſita. *Cic.* ad Att. l. 3. ult. *Villa ita completa militibus eſt, ut vix triclinium, ubi cœnaturus Cæſar eſſet, vacaret.*

TRIGLYPHI. Latinè Triſulci. Tres ſunt canaliculi, pro ornamento appoſiti in zophoris Dorici ordinis. Vitruvius l. 4. 2. ex ædificiis ligneis tradit non pauca tranſtuliſſe Architectos veteres ad lapidea & marmorea ædificia. Originem inſuper docet habuiſſe triglyphos a projecturis trabium extra muros, quæ, cum parum venuſtam exhiberent ſpeciem, præſecabantur, ſecturis tabella coopertis, &, ne viſum offenderent, cera cærulea illitis. Eas verò præſectiones, quæ trium ſulcorum formam haberent,

rent, triglyphis Doricis addit originem feciſſe. *Triglifi*.

TRIGONUM. Quid ſit in pavimentis. Vide *Favi*.

TRIPLYNTHII PARIETES. Vide *Diplynthii*.

TRISPASTOS. Vitr. l. 10. 3. Machina tractoria ad formam ergatæ, a tribus orbiculis, quibus vertitur, appellata.

TRISTEGA. Vide *Diſtega*.

TRIVIUM. Vide *Bivium*.

TROCHILUS. Vide *Scotia*.

TROCHLEA. Domeſticum notumque organum tractorium, non hauriendis ſolùm aquis, ſed oneribus etiam attollendis idoneum. Conſtat aſſiculo trajecto per rotulam, quæ circumacta fune ductario, pondera deprimit ſublevatque.

TRULLA. Lamina ferrea, fere triangularis, cum ligneo manubrio, qua fabri murarii calcem accipiunt ad inducendum tectorium. *Cazzuola*.

TRULLISSATIO. Trulliſſandi actus. Vitr. l. 7. 3.

TRULLISSO. Trulla parietem incruſtare, loricare, inducere tectorium. *Stabilire*, *Intonacare*, *Liſciare*.

TRUNCUS. A Vitruvio l. 33. ſic appellatur columnæ ſcapus, ſive fuſtis. *Fuſto della Colonna*.

TUBI, vel Tubuli fictiles. In aquæductibus mutuò inſerti, alligatique cannabinis faſciis glutinatis, aquas deducunt. *Doccioni*. Vitruvius l. 8. 7. præ fiſtulis plumbeis magnopere commendat tubos fictiles. Præter enim quàm quòd faciliùs admodum refici poſſunt, ſi vitium contraxerint; ſunt etiam longè ſalubriores aquæ iis ductæ. Cum enim ceruſſa, quæ ex plumbo naſcitur, vitioſa ſit, neceſſe eſt ipſum etiam plumbum haud parum noxium eſſe. Exemplo præterea ſunt artifices ipſi plumbarii, qui plumbum ſundendo, ex malignis metalli incenſi vaporibus, vitiato in membris vigore ſanguinis, pallorem inducunt. Addit poſtremò Magiſter idipſum comprobare eorum uſum, qui cum poculis, patiniſque, & vaſis argenteis non careant, propter ſalubritatem

tamen

Digitized by Google

tamen cibum fictilibus capiunt; quod de Rege Agathocle eſt antiquitus commemoratum. Sed Tyrannus ille rudibus craſſiſque cœnabat fictilibus. Noſtrorum temporum ſubtilioris ingenii gula eſt. Adinventa nimirum eſt ratio figulinis patinis lancibuſque ſplendidiùs quàm argenteis comeſſandi. Neque enim ſolùm vaſis cretaceis affabre picturatis dapes miniſtrantur; ſed ab extremis Japonum, Serumque finibus accerſuntur ſcyphi, pocilla, paropſides, ex tenuiſſima perſpicuaque ſtructura fictili, quæ Veterum eſſe myrrhina plurimis video eſſe perſuaſum. Quamvis nihil eſt cauſæ, quamobrem tam remotæ & laborioſæ ejuſmodi quærantur lautitiæ, cum apud Saxones in Germania ejus generis nitidiſſima vaſa conficiantur. Quæ licèt peritiſſimi artifices auro præligent, & picturis elegantiſſimis exornent, adhuc eorum candori mihi videntur injurii.

TUDES. Malleus. A tundendo dicitur, authore Feſto. Ex quo cognomentum Tudetanis adhæſit iis, qui ad modum mallei caput formatum habent. Hinc porro cognomentum Tuditis Carolo Majori, vulgo *Carlo Martello*, de quo ab *Ægidio Pariſienſi* ſcriptum invenio:

Dictus Tudites, vulgari malleus ore,
Ille ſui ſimul, & contuſi malleus orbis.

TUGURIUM. Ruſticum habitaculum, ſtramentis, arundinibus ulva paluſtri, vel textura viminea tectum. A Paſtoribus Arcadiæ inventum ſcribit Pauſanias in *Atticis*.

TUGURIOLUM. Parvum tugurium. *Apulejus*.

TUMULUS. Propriè cumulus editioris terræ; quoniam præfoſſa terra iterum ſuper ſepulto cadavere coacervatur. Vide *Sepulcrum*.

TURRIS. Præcelſi ædificii genus, erecti ad ſpeciem ſimul & munimentum. Earum inventum Plinius lib. 7. 56. ad Cyclopes retulit. Lapideas tamen fixaſque Tyrrhenum inveniſſe alii contendunt. Non abſurdè antiqui Fabulatores coronam ex turribus Berecynthiæ, quæ Terra ipſis erat, attribuerunt; quòd firmiſſimum ex terra eſſet commini-

miniſcentes ad ejus caput ornandum. Turres abſciſſæ aliæ ſunt, aliæ muris affixæ. Nam de ligneis & mobilibus, ad forum bellicum pertinentibus, non eſt hic agendi locus. Abſciſſæ ad portuum, & littorum tutamentum, vel ad magnificentiæ pompam in urbibus extruuntur. Quæ muris adhærent, alicubi in domorum attolluntur faſtigiis ad præſidium; ſed plerunque per certa intervalla diſpoſitæ mœnia ambiunt muniuntque. Frequentiſſimus apud nos in templis ſacrarum turrium uſus; in quarum culmine nolæ chalybeæ, roboreis cardinibus appenſæ, certis interdiu noctuque ſonitus ſignis editis, ad orandum, ad ſacrificandum, remque univerſam divinam frequentandam nos admonent invitantque.

TURRICULA. Parva turris.

Tuscus, vel Tuſcanicus ordo. Vide *Antiquus ordo*.

TYMPANUM. In adjectionibus ſupra columnas eſt ſpatium, triangulari fere figura clauſum intra coronidis ambitum. Vitr. l. 3. 3. *Sfondato*. Item ſpatium intra coronæ circuitum in ſtylobatis & poſtibus januarum. In machinis demum ſpatium eſt, quod ab aliis membris præcingitur, nudumque eſt in medio tabulatum.

TYPOGRAPHIA. Hæc illa eſt ingeniorum nutrix, vindex oblivionis, immortalitatis conciliatrix, nullis præconiis ſatis concelebrata facultas. Ea verò eſt, quæ potiori jure, quam Bibliothecarum, ut tradit Plinius, inventores, ingenia mortalium rem publicam fecit. Quemadmodum ſeptem Græciæ civitates ſuper Homeri patria ſumma olim contentione pugnarunt, nihiloſecius ſuper hujus artis primordiis a plurimis, Germaniæ præſertim, oppidis, eſt validè concertatum. Vide Hofmannum, qui ejus originem accuratè digerit expenditque. Equidem Italia ſi minus ejuſdem inventrix, aut particeps fuit; profectò & confeſtim ardenti illam ſtudio arripuit; & per conſequentes ætates magnopere in dies mirificèque, plurimorum voluminum editione nitidiſſima typis edita, excoluit. Eam laudem præ cæteris Venetiæ, Florentia,

Digitized by Google

Roma, Neapolis, meritò ſibi vindicant. Uſus artis ex plurimis in omnes alphabeti literas plumbeis characteribus conſtat, qui ſingulis ordinatim diſpoſiti locis diſpertiuntur; deinde aptè ad expreſſionem authographi colligantur, ferreis lamellis ab utroque concluſi margine, ne dilabi diſſolvique poſſint. Mox atramento impreſſorio obliti, prælo ſubjiciuntur, quo adducto reductoque, plagulas carnoſis philyris exceptas, imprimunt adamuſſim atque deſignant.

TYPUS. Non ſolùm rudes formas, & exemplaria artefactorum, ſed ipſas etiam effigies, exiguæ præſertim molis, ut ſunt cruſtæ & ſigilla, ſignificat. *Modello*.

V

VALETUDINARIUM. *Seneca*. Locus, ubi ægroti, vel parum commoda valetudine utentes, curari ſolent. Valetudinarii autem vocantur non ſolùm ægroti curandi, verùm etiam Medici, qui tollendis morbis curam impendunt. *Pandectæ*. *Quibuſdam aliquam vacationem munerum graviorum conditio tribuit, ut ſunt menſores, optiones, & medici valetudinarii*.

VALLUM. Dicitur a vallis virilis generis. Vallus autem eſt palus. Seriatim diſpoſiti valli vallum faciunt. Ex horum colligatione & conſepto, aggeſtitia terra firmato, fiunt aggeres tam ad oram foſſæ in arcibus, & caſtris, quàm ad urbanos uſus, ubicunque repagulis eſt obnitendum. *Palizzata*, *Paliſicata*.

VALLUS. Palus. Ex quo valla, ideſt conſepti aggeres nectuntur. Vitibus præcipuè opitulantur; ex quo dictum Ariſtophanis in Veſpis: *Vallus vitem deſeruit*. Congruit iis, quibus amici malum rependunt. Contingit enim

Digitized by Google

enim proſtratos vallos ſecum palmites in terram trahere.

VALVÆ. A volvendo januæ ſic dicuntur; quoniam geminæ ſunt partes ſimul coeuntes, &, cum oportet, reductiles introrſum, & quaſi revolutæ.

VAPORARIUM. Locus in balneis ſtructuræ teſtudinatæ, ubi proximè accenſo igne creabatur calor, & ſudor provocabatur. Vide *Laconicum*.

VARA. Vitr. l. 10. 18. Lignum tranſverſarium, arrectario compactum ad aliquid ſuſtinendum. Auſonii parœmia eſt: *Vara vibiam ſequitur*. Eſt autem vibia arrectarium lignum. Sententia adagii eſt: Abrupto ſemel pudoris freno in præceps homines prolabi in vitiis conſectandis.

VASARIUM. Quid ſit in balneis. Vide *Balneæ*.

VECTIS. Palus ferreus, vel ligneus, aptus ad pondera ſublevanda. *Leva*. Item palus ferreus acuminatus muris diruendis, excidendiſque ſaxis deſerviens. Mihi vel ipſa eſt dolabra, vel illi parum abſimilis. *Paletto*, *Piccone*.

VENTER. Ab animalium ventre ſic dicitur in columnis pars turgidior, & in aquæductibus pars ima, ubi aquarum eſt receptaculum. Ita Baldus ad *Vitr.* l. 8. 7., & Philander ad eumdem l. 3. 3. Magiſtri autem verba ſunt: *Sin autem valles erunt perpetuæ, in declinato loco curſus dirigatur; cum venerint ad imum, tum altè ſubſtruitur, ut ſit libramentum quàm longiſſimum. Hoc autem erit venter*. Ventrem inſuper facere dicitur paries, cum fundamenti, quod plerunque accidit, vitio, in aliqua parte tumeſcit, curvaturque extra limites, & perpendiculum ejuſdem fundamenti: *Alphen.* l. 17. §. *Si ſervitus vend. Si quando paries ita ventrem faceret, ut in vicini domum ſemipedem, aut amplius procumberet &c.*

VENTUS. Definitur aeris fluens unda, cum incerta motus redundantia. In condendis ædificiis vitandæ primùm omnium ſunt poſituræ, quæ parum ſalubribus ventorum flatibus ſunt obnoxiæ. Urbis minus accuratè conditæ exemplum teſte Vitruvio, Mitylene fuit in Inſula Lesbo. Eleganter illa quidem & magnificè ſtructa, ſed parum dili-

diligenter & cautè : Auſtro nimirum flante, ægrotabant cives; cum Corus ingrueret, tuſſiebant; ad Boreæ flamina non poterant conſiſtere propter vehementiam frigoris; idcirco idem Magiſter in ſingulis fere ædificiorum generibus recenſendis, quo ventorum aſpectu locanda ſint, naviter diſtinctèque præcipit.

VERMICULATUM OPUS. Vide *Emblema*, & *Favi*.

VERSURA, æ. Conflexus exterior angulorum in parietibus. Item flexuræ ſunt porticus, quæ a ſcena ad theatri cornua ducebant. Vitr. l. 5. 6.

VESTIBULUM. Non eſt apud aliquos pars ædium, ut apertè docet Gellius l. 16. 5. ſed ante januam locus abſciſſus a via. Uſus erat, ut qui ad negotia tractanda, vel officii gratia veniſſent, nec in via degerent, nec eſſent in ædibus. Sed quoniam Critici non pedanei contendunt acriter idem fuiſſe oſtium & veſtibulum, conciliat eos Scriptores Voſſius a diverſitate temporum. Et antiquitus quidem cum magnificè minus & ſplendidè Romani habitarent, idem fuiſse conſtituit oſtium & veſtibulum; ſed luxu progreſſu temporum ingruente, inter viam & ædes conſepta quædam, undique præcincta muris, fieri conſueviſſe contendit. In ea area interjecta conſiſtebant priùs, quibus in ædes admitti opus erat. Et quidem etiamnum in plurimis Italiæ civitatibus viſuntur; ante Monaſteriorum præſertim, & Templorum januas ejuſmodi interpoſita ſpatia ſub dio, ambituque murorum concluſa. In iiſdem areis, authore Vitruvio, adjectum ſæpe erat tetraſtylon, ideſt quatuor columnarum ſpatium, ad ambulandi opportunitatem diſtinctum. Ibidem autem detinebantur, qui officiorum & ſalutationum gratia heros convenirent. Sed & cuſtodes admiſſionales aderant, qui admittendi, vel dimittendi curam habebant, quos Cornelius Nepos pueros a janua appellat. *Virgil.* l. 6.

—— cernis cuſtodia qualis
Veſtibulo ſedeat?

Nem-

Digitized by Google

Nempe, ut priùs dixerat,

Tyſiphoneque ſedens, palla ſuccincta cruenta,
Veſtibulum inſomnis ſervat noctesque dieſque.

Addo commemoratis veſtibulis parum abſimiles forſan fuiſſe porticus, quas ante januas templorum frequenter cernimus; quod ut faciliùs credam, efficit relati ſuperius tetraſtyli mentio, ad ambulandum diſpoſiti. A Veſta veſtibulum appellatum, quoniam ibidem ignis antiquitus accenderetur. *Ovid.* Faſt.

Hinc quoque veſtibulum dici reor: inde precando
Dicimus, o Veſta, quæ loca prima tenes.

VIA. Ex Varrone dicitur quaſi veha, propter vecturas, quæ ibi fiunt. Sternuntur viæ cæmentis, vel commiſſura laterum, vel ſiliceo quadrato lapide, cujuſmodi ſpectatiſſimæ erant apud Romanos ad plurium dierum iter porrectæ, amplaque latitudine extenſæ, cum adjectis utrinque tumulis ſcanſilibus, & milliariorum ſignis, per certa editis intervalla. Dividunt vias Scriptores in publicas, & privatas. Publicæ dicuntur, per quas omnibus cum beſtiis, & curribus iter eſt liberum: ſunt enim in ſolo publico, & ex publico curatores habent Magiſtratus ad id deſignatos. Privatæ ſunt, quæ privatorum collatione ſunt extructæ. Dividuntur etiam in militares, conſulares, prætorias; quæ omnes utpote a publicis Magiſtratibus conſtitutæ curatæque, ad uſum publicum ſtratæ ſunt. Non deerant apud Romanos ad viarum, & compitorum cuſtodiam Dii tutelares, quos Viales nominabant. Meminit inter alios Plautus in Mercat. Iis porcâ litatum publico ſacrificio: *Propertius* l. 4. 1.

Parva ſaginati luſtrabant compita porci.

Curatores viarum ab Auguſto primùm creati, ut ſcribit *Svetonius* in ejus vita per hæc verba: *Nova officia excogitavit, curam operum publicorum, viarum, aquarum &c.* Alii tamen eam laudem referunt ad Julium Cæſarem. Vilem apud Thebanos olim viarum procurationem, Epaminondæ in ignominiam traditam, ab eodem in præ-

prænobile munus redditum ſic tradit *Valerius Maximus* l. 3. 7. *Epaminondas, cum ei cives irati ſternendarum in oppido viarum contumeliæ cauſa, curam mandarent (erat enim apud eos illud miniſterium ſordidiſſimum) ſine ulla cunctatione id recepit; daturumque ſe operam, ut brevì ſplendidiſſimum faceret, aſſeveravit. Mirifica deinde procuratione abjectiſſimum negotium pro ampliſſimo ornamento expetendum Thebis reddidit*. Præamplus erat publicarum viarum numerus a ſingulis Romæ portis, Flaminia, Appia, Aſinaria, Collatina, Capena, Aurelia, Triumphali, Salaria, Latina, Eſquilina, Oſtienſi, Viminali, aliiſque. Qui primi vias ſilice ſtraverint, Pœni perhibentur. De iiſdem Romæ curandis a C. Sempronio Tribuno plebis lata lex in hanc ſententiam: *Ut viæ in Italia munirentur, ſternerentur, lapidibus milliaria diſcernentibus notarentur, pontes inſtruerentur*. Earum pluribus in locis Italiæ viſuntur adhuc interrupta veſtigia, quæ magnificentiam Veterum diſertè prædicant, ſubſequentium temporum incuriam exprobrant. Appiæ veſtigia maximè omnium ſunt meritò ſpectabilia. Eam viam Appius Claudius a Porta Capena Capuam uſque perduxit. Eandem Julius Cæſar, vel, ut alii malunt, Auguſtus Brunduſium uſque curavit extendi. A Trajano demum inſtaurata legitur. Duo currus obvii facilè per eam migrare poterant. E duriſſimo quadrato ſilice ſtrata, quorum copia, nulla materia nexa, firmiſſimè hærebat. Aderant ad latera cum lapidibus milliaria deſignantibus editiores tumuli, non ſolùm ad reclinanda viatorum onera, & parumper conquieſcendum, verùm etiam ad uſum commodiùs in equos aſcendendi. Vide *Silex*.

VIA TECTA. In re munitoria eſt ſemita in plano declivi poſt marginem foſſæ, qua tecti præſidiarii ad propulſandos hoſtes poſſunt accurrere. *Camino coperto*.

VIBIA. Vide *Vara*.

VICUS. Plurium domorum juxta poſitarum aggregatio. Di-

Diſtinguitur a pago, qui plurimas domos ruſticanas, & fere disjectas ampleċtitur. Eſt etiam vicus pars civitatis, quorum copioſa conjunċtio oppidum facit.

VILLA. Dividitur a Pignorio, & aliis in urbanam, & ruſticam. Urbana cœnationes habet, triclinia, diætas, balneas, cæteraque ad omnimodam formam ædis civicæ. Ejus porro partes antiquitus curabant balneatores, fornacatores, oſtiarii, atrienſes, ex uſu prorſus urbano. Villæ ruſticæ apud Romanos ab omni miniſterio, victualibus, & ſupellectili erant inſtructiſſimæ. Colonos, operaſque glebales omnis generis recenſebant, & miniſtros, qui culinæ, chorti, granario, gallinario, januæ, torculari, camino, celliſque fructuum variorum præeſſent. His omnibus præficiebatur villicus, qui villicam contubernalem, operum omnium laborumque ſociam, famulaſque habebat, lanificio præcipuum in modum, textrinæque operam impendentes. De univerſo villæ paratu præter Scriptores veteres de Re Ruſtica, videndi ſunt commemoratus Pignorius, & Joannes Baptiſta Porta in excultiſſimo opere ſingulari de *Villa*.

VITRUM. Maſſa candicans. Ex arena pellucida littorali, nitro admiſta, & excocta, conficitur. *Tacit.* Hiſt. l. 5. *Belus amnis Judaico mari illabitur, circa cujus os collectæ arenæ, admiſto nitro, in vitrum excoquuntur.* In India ex cryſtallo contuſa confici ab aliis traditur. Ex herba demum, cui helimo nomen, formari, Græcorum inventum fuiſſe, literis eſt conſignatum. Ex hujus herbæ in cineres redactæ copia, excoctoque quodam ſilicis genere, paſſim hodie vitrum componitur. Summus vitro honos haberetur, niſi copia eidem pretium detraheret. Præter enim quàm quòd pocula ex iis, & vaſa lucida conficiuntur, in omnes inſuper colores ſe induit; formaſque in fornacibus, quaſcumque fabri juſſerint, maſſa docili, minimo negotio accipit. Sed ſingularis eorum prærogativa, & præcipua laus eſt, quoniam non ſolùm

ſolùm flatu formatur, tornoque atteritur, ſed cælaturis etiam, ſcalpturiſque omnis generis exornatur. Nullæ ſunt rerum formæ, in quas non incidi ſe patiatur in poculis vaſiſque menſariis, omnique elegantium cruſtarum genere; ut planè cælatum nihil in auro argentoque tam ſit demirandum, quod pellucida ea materia affabre inciſa non referat. Poſtquam verò expreſſas imagines, atque adeo hiſtorias obſtupueris, ſupereſt, quòd prodigii loco meritò haberi poſſit, in tam elaborata ſtructura bracteolæ tenuiſſimæ longè pluris eſtimanda fragilitas.

VIVARIUM. Locus, ubi animalia omnis generis, ſive quadrupedes domeſticæ, feræque ſint, ſive aves, aut piſces aſſervantur. Ex uſu tamen de feris ſilveſtribus dicitur, quæ, quoniam ibi vivæ cuſtodiuntur, nuncupationem Vivario indiderunt. *Parco*, *Vivajo*. Vide *Leporarium*.

UMBELLATI CLAVI. Vide *Clavus*.

VOLUTA. Circumflexa eſt curvatura, & in ſe retortis cauliculis, qui ad latera abaci ſubnaſci videntur in capitulis Jonici, & Corinthii ordinis. Vitr. l. 4. 1. *Voluta*.

URBS. Civitas. Sed hæc populum intra muros, Urbs mœnia & ædificia reſpicit. Vide *Civitas*.

X

XENODOCHIUM. Diverſorium peregre advenientium, cujus curatores Xenodochi appellantur.

XYSTUS, & apud Vitruvium etiam Xyſtum. Non ſolùm eſt porticus tecta, æquato perpolitoque ſolo Athletis deſerviens, ex quo nominis originatio apud Græcos; verùm etiam ambulatio aperta & ſubdialis, arboribus, odoratiſque floribus conſita, aptatis etiam ad apricandum, vel

Digitized by Google

vel ad umbroſum hoſpitium, ſedilibus. *Plin.* l. 2. 17. *Xyſtus violis odoratus*. Portico, Viale.

Z

ZETA. Apud Criticos expungi ſolet hoc nomen apud Lampridium, & ſubſtitui Diæta. Vide *Diæta*.

ZOPHORUS. Pars eſt epiſtylii (moneo autem iterum epiſtylium non eſſe capitulum columnæ, ſed quod eſt ſupra capitulum; ſumique vel pro ſuperliminari, vel pro integra trabeatione, & adjectionibus ſupra columnas) Italis *Fregio*. Pars autem eſt ſupra tæniam, ſive quadram, *Liſtello*, *Quadretto*. Ornabatur antiquitus ex ſcalptis patinis, & boum capitibus, de more Veterum ornandi ſtructuras earum rerum imaginibus, quæ ſolebant adhiberi in ſacrificiis; boves autem in iis mactati, & eorum ſanguis exceptus in patinis. Inductæ poſtea aliorum animalium, rerumque diverſarum effigies, pro artificum nimirum arbitrio, vel ſtudio gratificandi ſuam operam iis, quorum imperio vel ſuaſu ædificia ſtruerent, tranſlatis in Zophoros imaginibus, quas ſcuta eorum gentilitia referebant. Zophorus a figuris animalium ex Græco dicitur.

Digitized by Google

INDICULUS
DICTIONUM PRÆFIXARUM
Diſtributus per Claſſes rerum.
CAPITA CLASSIUM

I.

DE *Architecto, & Architectura ædificatoria generatim.*

II.

Structurarum rationes, uſuſque varii.

III.

Materia Architecturæ ædificatoriæ.

IV.

Inſtrumenta, & machinæ Architecturæ ædificatoriæ.

V.

Artifices, & fabri.

VI.

Deformationes, menſuræ, & regulæ.

VII.

Ædificia memoratu digna.

VIII.

De columnis, earum partibus, & ornatu.

IX.

Partes Civitatis.

X. *Par-*

Digitized by Google

X.

Partes Templi.

XI.

Partes Ædium.

XII.

De re Munitoria.

XIII.

De re Balneari.

XIV.

De re Scenica, Theatrali, & Palæſtrica.

XV.

De Aquæductibus.

XVI.

Quæ ſuperſunt extra claſſes.

I.

De Architecto, & Architectura ædificatoria generatim.

Ædificatio.
Anaglyptice.
Araneus.
Architecton.
Architectonice.
Architectura.
Architectus.
Cælatura.
Conflatura.
Dædalæa opera.
Diſpoſitio.
Eurythmia.
Fuſoria ars.
Geometria.
Graphis.
Hirundo.
Idolum.
Moduli.

Plaſtice.
Proplaſtice.
Ratiocinatio.
Scalptura.
Sculptura.
Statuaria.
Symmetria.
Teſtudo.
Toreutice.

II.

Structurarum rationes uſuſque varii.

Abacus.
Acceſſiones.
Aceratum.
Amygdalatum opus.
Anaglypta.
Apparitio.
Apparatus.
Argumentum.
Aſarotum.
Caliculata ædificia.
Cataglypha.
Catenatio.
Coagmentum.
Coaſſatio.
Circummunitio.
Columnatio.
Communitio.
Competentia.
Compoſitus ordo.
Concatenatio.
Concratitius paries.
Congeſtitius, a, um.
Contignatio.
Corinthius ordo.
Corium.
Craticula.
Crepido.
Cruſta.
Cubile.
Culcita.
Cultellare.
Dentes.
Deſpumo.
Diamicton.
Diatheſis.
Diplynthii parietes.
Ecphora.
Echtypa.
Emblema.
Eminentia.
Emplecton.
Expreſſio.
Fabrica.
Farctura.
Favi.
Fiſtucatum opus.
Forma.
Fricatio.
Frontones.
Fundamentum.
Hyaloſtraton.
Hypetra.

Hy-

Digitized by Google

Hypogæum.
Iconicæ imagines.
Implumbo.
Incertum opus.
Inteſtinum opus.
Iſodomum.
Jugamentum.
Laxamentum.
Lithoſtrota.
Lorica.
Maceria.
Magalia.
Muſivum opus.
Nubilarium.
Nucleus.
Ordinarius, a, um,
Orthogonius, a, um.
Pando, as.
Parietes cratitii.
Periſtylium.
Pinſatio.
Plano pede.
Prætenturæ.
Proclinatio.
Prominentia.
Pſeudiſodomum.
Pſeudourbana ædificia.
Quadraturæ vitreæ.
Reductus, a, um.
Replum.
Reticulatum opus.
Romanus ordo.
Ruderatio.
Scalpturata pavimenta.
Sculptura.
Signinum opus.
Simus, a, um.
Statuminatio.
Structura ordinaria.
Subdialia pavimenta.
Subdialis, le.
Subſtructio.
Subtegulana pavimenta.
Tabulatio.
Tectorium.
Tectura.
Teſſellatum opus.
Teſtudinatum tectum.
Toreuma.
Trigonum.
Triplynthii parietes.
Trulliſſatio.
Venter.
Vermiculatum opus.
Verſura.

III.

Materia Architecturæ ædificatoriæ.

Æs.
Albarium.
Arena foſſilis.
Arenariæ ſodinæ.
Arenarium.
Argentum.

Ar-

Digitized by Google

Argilla.
Aſſer.
Aſſerculus.
Aſſi lapides.
Aſſiculus.
Aſſis.
Aſſulæ.
Aurum.
Beſſales laterculi.
Bipedæ.
Bitumen.
Cæmentum.
Cæſalis.
Cæſpes.
Calx.
Cantherii.
Capreoli.
Carbunculus.
Catena.
Cervi.
Chelonicum.
Claves.
Clavus.
Cnodaces.
Creta.
Cryſtallus.
Cultellus.
Delicia.
Diatoni lateres.
Electrum.
Embolus.
Everganeæ trabes.
Ferrum.
Fibula.
Fodinæ.
Frontati lateres.
Gemma.
Glarea.
Glutinum.
Granum marmoreum.
Gypſum.
Holoſphyratos.
Intercardinatæ trabes.
Interpenſiva.
Intritum.
Lapicidina.
Lamina.
Lapis.
Later.
Lignum.
Longurius.
Lutum.
Magnes.
Marmor.
Marmoratum.
Materies.
Merones.
Metallum.
Mortarium.
Muſcarii clavi.
Orichalcum.
Palus.
Paxillus.
Plumbum.
Rediviva.
Rudus.
Sabulum.
Semilateres.
Silex.
Stannum.
Sublica.
Subſcus.

Suc-

Succinum.
Talea.
Tegula.
Teſta tunſa.
Teſtacea ſpicata Tiburtina.
Tigillum.
Tignum.
Tophus.
Trabs.
Tranſtillum.
Tubi.
Vara.
Vibia.
Vitrum.

IV.

Inſtrumenta, & machinæ Architecturæ ædificatoriæ.

Acrobaticum.
Anſa.
Antarii funes.
Antoche.
Arca.
Armillæ.
Artemon.
Axis.
Axis in peritrochio.
Banauſos.
Bidens.
Bipennis.
Cælum.
Callopes.
Capulus.
Caput.
Carcheſium.
Catena.
Clavis.
Clavus.
Cochlea.
Cribrum.
Cuneus.
Dolabra.
Epibathra.
Epiſchidion.
Ergata.
Ferramentum.
Forceps.
Funale.
Funis.
Grus.
Habenæ.
Helices.
Hypomoclion.
Incerniculum.
Liaculum.
Ligo.
Machina.
Malleus.
Manubrium.
Mechanica.
Mola.
Nervus.
Organum.
Pala.
Pecten.
Pegma.

Pen-

Digitized by Google

Pentaſpaſton.
Polyſpaſton.
Raſtrum.
Retinaculum.
Rutrum.
Sarculus.
Scalprum.
Scapha.
Scyphus.
Securis.
Securis dolabrata.
Serra.
Sucula.
Terebra.
Triſpaſtos.
Trochlea.
Trulla.
Tudes.
Tympanum.
Vectis.
Umbo.
Umbellati clavi.

V.

Artifices, & fabri.

Ædificator.
Ærarius.
Albarii.
Albini.
Anaglyptes.
Cælator.
Calcarii.
Cavatores.
Cruſtarii.
Dealbatores.
Faber.
Fabricator.
Fictor.
Figulus.
Lapidarius.
Marmorarius.
Plaſtes.
Scalptor.
Sculptor.
Statuarius.
Structor.
Tectores.
Tignarius.

VI.

Deformationes, menſuræ, & regulæ.

Acæna.
Adumbratio.
Æquipondium.
Amuſſis.
Ancon.
Archetypon.

Bolis.

Bolis.
Chorobates.
Circinus.
Commenſus.
Decempeda.
Deformatio.
Diagramma.
Didoron.
Digitus.
Dioptra.
Echinometræ.
Euthygrammus.
Exemplar.
Filum.
Forma.
Funiculus.
Gnomon.
Hexempeda.
Ichnographia.
Iconiſmus.
Libella.
Libra.
Libramentum.

Linea.
Menſura.
Meſolabium.
Norma.
Orthographia.
Palmus.
Pentadoron.
Perpendiculum.
Pes.
Proplaſmata.
Prototypon.
Quinaria.
Regula.
Rubrica.
Scenographia.
Schema.
Sciographia.
Semipes.
Sexquipes.
Signaculum archetypum.
Tetradoron.
Typus.

VII.

Ædificia memoratu digna.

Abaton.
Academia.
Amphitheatrum.
Aquæductus.
Arcus triumphalis.
Armamentarium.
Arx.
Aſylum.

Athenæum.
Balneæ.
Baſilica.
Canopus.
Circus.
Cloaca.
Coloſſus Solis.
Columnæ Herculis.

Digitized by Google

Heptaphonos.
Hermatena.
Hermeracles.
Mauſoleum.
Naumachia.
Octogonon.
Palladium.
Penſiles horti.
Phari.
Pœcile.
Pyramis.
Templum Dianæ Epheſiæ.

VIII.

De Columnis, earum partibus, & ornatu.

Abacus.
Acanthus.
Acroteria.
Alæ.
Alveus.
Amphiproſtylos.
Ancon.
Anulus.
Antæ.
Antepagmenta.
Anticum.
Antiquus ordo.
Apophyges.
Apotheſis.
Arcoſtylos.
Aſtragalus.
Atticurges.
Axis.
Balauſtium.
Baltheus.
Baſis.
Baſes ſtructiles.
Calathus.
Campanulæ.
Canaliculi.
Capitellum.
Capreoli.
Cathetus.
Cincinni.
Columella.
Columna.
Columnæ ſpirales.
Compoſitus ordo.
Corinthius ordo.
Corona.
Cymation.
Decaſtylos.
Denticuli.
Deſtina.
Diaſtylos.
Doricus ordo.
Echinus.
Entaſis.
Epiſtylium.
Euſtylos.
Faſcia.
Femora.
Flores.
Folia acanthi.
Gula.

Gut-

Digitized by Google

Guttæ.
Harpaginetuli.
Helices.
Hemitriglyphi.
Hexaſtylos.
Hypotrachelium.
Incumba.
Intercolumnium.
Interordinium.
Jonicus ordo.
Lyſis.
Medianæ columnæ.
Metopæ.
Monotriglyphos.
Monopteros.
Monolithus, a, um.
Mutulus.
Octaſtylos.
Opa.
Paraſtatæ.
Peripteros.
Periſtylum.
Pila.
Plynthis.
Plynthus.
Proſtylos.
Pſeudodipteros.
Pſeudoperipteros.
Pteroma.
Pulvinus.
Pycnoſtylos.
Quadra.
Romanus ordo.
Roſæ.
Scamillus.
Scapus.
Scotia.
Semicanaliculus.
Semimetopium.
Sima.
Solidus, a, um.
Spicula.
Spira.
Stela.
Stria.
Strix.
Structilis, le.
Stylobata.
Supercilium.
Superliminare.
Syſtylos.
Tænia.
Tetraſtylos.
Torus.
Torulus.
Triglyphi.
Trochilus.
Truncus.
Tuſcus ordo.
Tympanum.
Venter.
Voluta.
Zophorus.

Digitized by Google

IX.

Partes Civitatis.

Academia.
Ædes.
Ærarium.
Amphitheatrum.
Angiportus.
Apotheca.
Armamentarium.
Arx.
Aquarium.
Aquæductus.
Archìum.
Arcus triumphalis.
Aſceterium.
Athenæum.
Baſilica.
Bibliotheca.
Bivium.
Bovile.
Brephotrophium.
Bule.
Callis.
Calcographia.
Caſtellum.
Caſtrum.
Circus.
Civitas.
Civitatula.
Cloaca.
Cœnobium.
Comitium.
Compita.
Crypta.
Cryptoporticus.
Curia.
Curotrophium.
Cuſtodia.
Diverſorium.
Diverticulum.
Domus.
Domuncula.
Domuſcula.
Ergaſtulum.
Fons.
Forum.
Gazophylacium.
Grammatophilacium.
Granarium.
Gymnaſium.
Hippodromus.
Ichthyopolion.
Lupanar.
Lycæum.
Mala manſio.
Navale.
Naumachia.
Neſſotrophion.
Noſocomium.
Œnopolium.
Officina.
Oppidum.
Pagus.
Piſtrinum.
Platea.
Pomarium.

Pons.

Pons.
Popina.
Portæ.
Porticus.
Portus.
Prætorium.
Proſeucha.
Ptechotrophion.
Quadrivium.
Schola.
Semita.
Senaculum.
Senatus.
Spectaculum.
Suburbium.
Summœnium.
Taberna.
Tablinum.
Tabularium.
Templum.
Theatrum.
Thermæ.
Tribunal.
Trivium.
Turris.
Typographia.
Valetudinarium.
Via.
Vicus.
Villa.
Urbs.
Xenodochium.
Xyſtus.

X.

Partes Templi.

Adytum.
Ædes.
Ædicula.
Ætoma.
Alæ.
Altare.
Ambo.
Antæ.
Anticum.
Apſis.
Ara.
Aſarotum.
Aſylum.
Baptiſterium.
Baſilica.
Cella.
Cellula.
Conſeptum.
Delubrum.
Eccleſia.
Eccleſiaſtirion.
Fanum.
Faſtigium.
Faviſſæ.
Feſtra.
Fornix.
Gradus.
Hypetra.

Digitized by Google

Lararium.
Odeum.
Penetrale.
Peribolus.
Pronaus.
Propylæum.
Prothyra.
Pulpitum.
Pulvinar.
Puteal.
Sacellum.
Sacrarium.
Sanctuarium.
Sepulcretum.
Tectum.
Templum.
Tholus.
Trichorum.
Veſtibulum.

XI.

Partes ædium.

Abacus.
Ædes.
Ædicula.
Ætoma.
Affixa.
Alæ.
Ambrices.
Ambulacrum.
Ambulatio.
Anabathrum.
Anaclytiria.
Ancon.
Androncs.
Andronides.
Antæ.
Antefixa.
Antenna.
Antepagmenta.
Anticum.
Apſis.
Aquilegium.
Archium.
Armamentarium.
Armarium.
Atrium.
Auguſtale.
Aviarium.
Aula.
Barycæ, &
Barycephalæ.
Bibliotheca.
Biclinium.
Biforis.
Camera.
Cameræ canniciæ.
Caminus.
Canalis.
Cancelli.
Cardo.
Caſa.
Caſula.
Cavædium.
Cella.
Cella ſuppoſititia.

Cel-

Digitized by Google

Cellula.
Cellarium.
Circumplurium.
Ciſterna.
Clauſtellum.
Clauſtrum.
Clauſum.
Clibanus.
Climacis.
Cochlidium.
Cœnaculum.
Cohors.
Colliciæ.
Compluvium.
Conclave.
Contignatio.
Coquina.
Cornix.
Corſa.
Crypta.
Cryptoporticus.
Cubiculum.
Culina.
Culmen.
Cuneus.
Curriculum.
Deambulacrum.
Deambulatorium.
Deductorium.
Delumbata lacunaria.
Diæta.
Diſtega.
Doma, atos.
Domicilium.
Domuncula.
Domus.
Domuſcula.
Dormitorium.
Echinatum tectum.
Epithitides.
Equile.
Exoſtra.
Falere.
Familiaricæ cellæ.
Faſcia.
Faſtigium.
Feneſtra.
Focus.
Fœnile.
Forica.
Fores.
Fornax.
Fornix.
Fumarium.
Furnus.
Gallinarium.
Granarium.
Gurguſtium.
Gynæceum.
Habitatio.
Hamatæ tegulæ.
Hara.
Heliocaminus.
Hexaclinon.
Hibernaculum.
Horreum.
Hortus.
Hyperthyron.
Hypoſtegæ ambulationes.
Janua.
Imbrex.
Impages.

In-

Infumibulum.
Inlices.
Intergerinus paries.
Inertignium.
Intervallum.
Lacunar.
Latrina.
Leporarium.
Limen.
Loculamentum.
Lorica.
Lumen.
Meniana.
Meſaula.
Muſæum.
Oeci.
Optrotheca.
Ornithones.
Oſtium.
Pedagogium.
Pagmentum.
Palatium.
Palearium.
Paries.
Parthenones.
Pavimentum.
Pectinatum tectum.
Pentaſtichæ porticus.
Periſterotrophium.
Pergula.
Periterides.
Pinacotheca.
Piſcina.
Podium.
Poſtes.
Poſticum.
Præſepe.
Præſterga.
Procœton.
Promptuarium.
Proſtas.
Prothyra.
Prothyris.
Pſeudothirum.
Puteus.
Quadriſores.
Roborarium.
Salutatorius, a, um.
Scala.
Scandulæ.
Semifaſtigium.
Specula.
Speculatorium.
Speculum.
Stabulum.
Stillicidium.
Suggrunda.
Supercilium.
Superliminare.
Tabulatum.
Tectum.
Thalamus.
Thyroma.
Tranſenna.
Trichorum.
Triſtega.
Valvæ.
Veſtibulum.
Vivarium.
Xyſtus.

XII. *De*

Digitized by Google

XII.

De re Munitoria.

Acceſſiones.
Agger.
Agger viæ tectæ.
Antemurale.
Antemuranus, a, um.
Anterides.
Arca.
Arx.
Auricula.
Cancelli.
Caſſis.
Caſtellum.
Caſtrum.
Cataracta.
Cornuta opera.
Coronata opera.
Cortina.
Crypta.
Cuniculus.
Eriſma.
Feneſtella.
Forceps.
Foſſa.
Fuſſula.
Fulcrum.
Fulmen.
Fultura.
Lorica.
Lunatæ munitiones.
Margo foſſæ.
Mœnia.
Munitio.
Orthoſtrota.
Palatio.
Parmula.
Pedamentum.
Peribolus.
Phalanga.
Pila.
Pinnæ.
Pluteus.
Polygonius.
Præſidium.
Prætenturæ.
Proceſtrium.
Promurale.
Propugnaculum.
Receptus.
Repagulum.
Reſciſſiones.
Reſectiones.
Roſtrum.
Scabella.
Sccreobata.
Suſtentaculum.
Tibicen.
Turris.
Vallum.
Vallis.
Via tecta.

XIII. *De*

Digitized by Google

XIII.

De re Balneari.

Alveus.
Alypterium.
Apodyterium..
Aquarium.
Aſſa.
Baptiſterium.
Celum.
Caldarium.
Coniſterium.
Conſternium.
Cuniculus.
Dureta.
Elæotherium.
Excaldationes.
Frigida lavatio.
Frigidarium.
Hypocauſtum.
Labrum.
Laconicum.
Lavacrum.
Piſcina.
Præfurnium.
Propnigeum.
Schola.
Solium.
Sphæriſtærium.
Sudatorium.
Tepidarium.
Vaporarium.
Vaſarium.

XIV.

De re Scenica, Theatrali, & Palæſtrica.

Alæ.
Amphitheatrum.
Ara.
Baltheus.
Bronteum.
Buleuticon.
Cavea.
Choragium.
Claudiana tonitrua.
Coricæum.
Cortina.
Cuneus.
Diazomata.
Eccleſiaſtirion.
Ephœbeum.
Epiſcenium.
Equeſtria.
Exoſtra.
Falere.
Fori.
Gradatio.
Hypoſcenium.
Logeum.
Orcheſtra.

Pa-

Digitized by Google

Palæſtra.
Podium.
Popularia.
Poſticum.
Præcinctiones.
Proſcenium.
Pulpitum.
Scalaria.
Scena.
Sedilia.
Spoliatorium.
Subſellium.
Thymele.
Verſura.

XV.

De Aquaductibus.

Acceptorius.
Actus.
Alveus.
Aquagium.
Aquarium.
Aquæductus.
Calix.
Canalis.
Caſtellum.
Colluviaria.
Columbaria.
Columnaria.
Commiſſura.
Conceptela.
Crypta.
Dioptra.
Diverticulum.
Dividiculum.
Emiſſarium.
Epiſtomium.
Erogatorius.
Expreſſio.
Fiſtula.
Forma.
Geniculus.
Immiſſarium Lamina.
Moduli.
Nares.
Piſcina.
Puteus.
Rivus.
Tubi.
Venter.

XVI.

Quæ ſuperſunt extra claſſes.

Ad unguem.
Anatonus.
Ancæſa.
Arrectarius.

Atlan-

Digitized by Google

Atlantes.
Buſtum.
Calcaria.
Calcatorium.
Campana.
Cariatydes.
Catadromus.
Cereæ imagines.
Ceroſtrota.
Cippus.
Coloſſicotera pondera.
Coloſſus.
Columnæ Herculis.
Commata.
Conamentum.
Concavum.
Conciſura.
Conciliabulum.
Conditorium.
Conſonantia.
Convexus.
Diacopi.
Euripus.
Exedra.
Fœnicularium.
Fons.
Funditus.
Gammatus.
Geſtatio.
Hemicyclus.
Hermæ.
Homotonus.
Hortus.
Jani.
Imagines.
Incilia.
Labyrinthus.
Latomiæ.
Meta.
Moles.
Momentum.
Murrhina.
Nummi.
Nundinæ.
Nymphæum.
Obelus.
Obeliſcus.
Phari.
Prytaneum.
Requietorium.
Sepulcrum.
Sigillum.
Signum.
Simulacrum.
Stadium.
Statua.
Statuæ Perſicæ.
Stibadium.
Stylus.
Suggeſtus.
Suile.
Succinum.
Telamones.
Tenſio.
Terminus.
Tranſenna.
Tugurium.
Tumulus.
Typographia.
Ventus.
Via.
Villa.

FINIS.

Digitized by Google

INDEX
VOCUM ITALICARUM.

A

ABbozzatura. *vedi*	Adumbratio, Ichnographia.
Accademia.	Athenæum.
Adombrazione.	Sciographia.
Aggetti.	Acceſſiones, Crepido, Ecphora, Prominentia, Prætenturæ.
Aguglia.	Obelus.
D'un pezzo ſolo.	Monothilos.
Ale.	Alæ.
D'un pezzo ſolo.	Monodipteros.
Due ale.	Dipteros.
Ale in giro.	Peripteros.
Due ale finte.	Pſeudodipteros.
Ale in giro finte.	Pſeudoperipteros.
Altare.	Altare, Ara.
Alzato.	Orthographia.
Ambra.	Succinum.
Anello.	Anulus.
Angolo.	Angulus.
Di più angoli.	Polygonius.
Anima del capitello Corintio.	Calathus.
Antiporta.	Antepagmentum, & vide *Buſſola*.
Anfiteatro.	Amphitheatrum.
Appartamento.	Cœnaculum, Dieta, Trichorum.
Aquedotto.	Aquagium, Aquæductus, Ciſterna.

Digitized by Google

Architetto.	Architectus, Architecton.
Architettura.	Architectura.
Arco trionfale.	Arcus triumphalis.
Archivio.	Archivium, Grammatophilacium, Tablinum.
Archipenzolo.	Libella, Perpendiculum.
Architrave.	Epiſtylium, Hyperthyron, Supercilium, Superliminare.
Argano.	Ergata.
Argine.	Agger, Vallum, Dentes, Conſeptum, Phalere, Palatio.
Argento.	Argentum.
Armatura.	Fultura.
Armeria.	Armamentarium.
Armario.	Armarium.
Arrotare.	Deſpumo.
Arſenale.	Navale.
Aſſe.	Aſſer.

B

BAgno.	Alveus. Balnea, Baptiſterium, Thermæ.
Balauſtro.	Balauſtium.
Balcone. Vedi *Ringhiera*.	
Baleſtriera. Vedi *Feritoja*.	
Baluardo.	Propugnaculum.
Barbacane. Vedi *Sperone*.	
Baſe.	Baſis, Atticurges, Spira.
Batteria. Vedi *Argine*.	
Battipalo.	Fiſtuca.
Bettola.	Œnopolium.
Bianco.	Albarium.
Bietta. Vedi *Zeppa*.	
Bilico.	Libra.

Digitized by Google

Bitume.	Bitumen.
Bolino.	Calchographia.
Borgo.	Suburbium.
Bronzo.	Æs.
Bronzo lavorato, o di getto.	Holoſphyratos.
Buſſola.	Prothyra.

C

CAlamita.	Magnes.
Calce.	Calx.
Calce a lavoro.	Arenatum.
Calcinaccio.	Rudus.
Calo o riſtringimento della colonna.	Apophygis, Apotheſis, Hipotrachelium.
Camera.	Cella, Cubiculum, Hibernacula.
Camera per ſoli uomini.	Andrones.
Per ſole donne.	Gynæceum, Œci.
Camei.	Cimelia, Gemma, Ectypa.
Camino.	Caminus, Focus.
Cammino coperto.	Via tecta.
Campana.	Campana.
Campanelle. Vedi *Goccie*.	
Canale.	Canalis, Tubi, Fiſtula, Imbrices, Nares.
Cancelleria. Vedi *Archivio*.	
Cancelli.	Cancelli.
Capanna.	Magalia, Tugurium.
Canopo.	Nympheum.
Capitello.	Capitulum.
Caponiera.	Arca.
Cappella.	Ædicula, Cella, Sacellum, Lararium.
Carcere.	Carcer, Cuſtodia, Ergaſtulum, Mala manſio, Arca.
Cardine.	Axis, Cardo.

Digitized by Google

Cartella. Cartellone. Cartoccio.	Cincinni, Helices, Ancones, Capreoli, Cauliculi, Claviculæ.
Caſa.	Ædes, Domus, Caſa.
Caſa matta.	Crypta cœca.
Caſſa.	Arca.
Catena.	Catena.
Caſtello.	Caſtrum.
Caſtello da imbiancare.	Acobaticon.
Catacombe.	Catogæum, Crypta.
Cateto.	Cathetus.
Cavalli.	Cantherii.
Cavetto.	Scotia, Trochilus.
Cavicchio. Vedi *Zeppa*.	
Cazzuola.	Trulla.
Cemento.	Cœmentum.
Centina. Vedi *Armatura*.	
Cerchielli.	Armillæ.
Ceſſo. Vedi *Fogna*.	
Chiavi.	Claves.
Chieſa. Vedi *Tempio*.	
Chiodo.	Clavus.
Chiocciola. Vedi *Strettojo*.	
Cloaca.	Cloaca.
Chioſtro. Vedi *Cortile*.	
Cimaſa.	Cymation.
Cimiterio.	Sepulcretum.
Ciſterna.	Faviſſæ. Ciſterna.
Città.	Civitas, Urbs, Oppidum.
Circo.	Circus.
Coloſſo.	Coloſſus.
Colmigno.	Culmen.
Colonna.	Columna, Deſtina, Stela, Tibicen, Structiles.
D'un pezzo.	Monolithus.
Di quattro ordini.	Tetraſtylos.

Di ſei.

Di ſei .	Hexaſtylos .
Di otto .	Octaſtylos .
Di dieci .	Decaſtylos .
Colonnato doppio .	Amphiproſtylos .
Largo .	Areoſtylos , Diaſtylos .
Colonnato d'avanti .	Proſtylos .
Colonnato ſtretto .	Pycnoſtylos .
Con tramezzo largo quanto tre colonne .	Euſtylos .
Spazio tra le colonne .	Intercolumnium; Interordinium .
Spazio , tramezzo di due colonne .	Syſtylos .
Compaſſo .	Circinus .
Conſerva .	Aquilegium .
Condotto ſotterraneo .	Rivus .
Contignazione . Vedi *Solajo.*	
Coppi . Vedi *Canali* .	
Cornice .	Corona .
Corridore .	Curriculum .
Cortina .	Cortina , Lorica .
Crivello .	Cribrum , Incerniculum .
Cupola .	Tholus .
Curia .	Curia , Baſilica .

D

DAdo .	Abacus , Plynthus .
Dar l'orſo .	Deſpumo .
Dardi .	Spicula .
Dentelli .	Denticuli .
Diſegno .	Deformatio , Diagramma , Exemplar , Forma .
Diſpenſa .	Cellarium .
Doccioni .	Tubi .

Era-

Digitized by Google

E

ERario.	Ærarium, Gazophylacium.

F

FAbrica.	Fabrica, Ædificatio, Structura ordinaria, Incertum opus, Rediviva, Signinum opus, Inteſtinum opus, Statuminatio, Ruderatio.
Fabrica in ottangolo.	Octogonon.
Fari.	Phari.
Faſcia.	Faſcia, Corſa.
Feneſtra.	Feneſtra.
Feritoja.	Feneſtella.
Ferrata.	Clathri. Tranſenna.
Ferro.	Ferrum.
Feſtone.	Encarpus.
Fibbia. Vedi *Manico*.	
Filo, miſura.	Amuſſis, Filum, Rubrica.
Finimento.	Epiſtylium, Acroteria, Epitithides.
Fiore.	Flores, Roſa.
Fondere.	Fuſoria ars, Conflatura.
Fondamento.	Fundamentum.
Fogna.	Forica, Latrina.
Fontana.	Fons.
Fontanile.	Aquarium.
Forconi.	Cervi.
Forno.	Furnus, Clibanus.
Fortezza.	Arx.
Fortino.	Caſtellum.
Foſſa.	Foſſa, Fovea.
Frataccio.	Liaculum.

Fre-

Digitized by Google

Fregio.	Zophorus.
Fuſajolo.	Aſtragalus.
Fune.	Funis.
Fuſto della colonna.	Truncus, Scapus.

G

GAbbinetto.	Conclave, Penetrale.
Galleria.	Pinacotheca. Vedi *Viale*.
Geloſia. Vedi *Ferrata*.	
Gemma.	Gemma.
Geometria.	Geometria.
Goccie, e Gocciole.	Guttæ.
Gocciolatojo. Vedi *Liſtello*.	
Gola, Gola dritta, Gola rovercia. Vedi *Cimaſa*.	
Goletta.	Sima.
Gradetto. Vedi *Anello*.	
Gradini.	Scamillus.
Granaro.	Granarium, Horreum.
Grondaja.	Collitiæ, Stillicidium, Suggrunda.
Guardarobba.	Apotheca, Choragium.

I

IMmagine.	Imago, Iconicæ imagines, Cereæ imagines. Idolum. Simulacrum.
Incamiſciata.	Peribolus.
Incroſtatura.	Corium.
Intaglio.	Cataglypha, Scalpturata pavimenta.

La-

L

LAberinto.	Labyrinthus.
Laſtra.	Lamina.
Latta.	Ferrum.
Lavoro Iſtorico.	Argumentum, Toreuma.
Legno.	Materies, Lignum.
Letto, o forame, dove poſan le travi, o altro.	Opa, Columbar.
Leva.	Vectis Hypomoclion.
Liſciare.	Trulliſſo, Deſpumo.
Liſtello.	Quadra, Tænia.

M

MAcera.	Aceratum opus, Aſſi lapides.
Machina.	Machina.
Manico.	Anſa, Capulus, Manubrium.
Mangiatoja.	Præſepe.
Marco.	Æquipondium.
Marmo.	Marmor.
Martello.	Malleus. Tudes.
Maſchio.	Embolus.
Matrici.	Echinometræ, Typus, Forma.
Mattone.	Later.
Mattone piſto.	Teſta tunſa, Signinum opus.
Mazza.	Malleus.
Mecanica.	Mechanica.
Menzola.	Mutulus.
Merlo.	Pinna.
Metallo.	Metallum.
Mezzaluna.	Caſſis.
Mina.	Cuniculus.
Miniera.	Fodinæ.

Mo-

Digitized by Google

Molino.	Mola, Piſtrinum.
Monaco.	Columna.
Modello.	Proplaſma, Typus. Vedi *Diſegno*.
Monaſterio.	Aſceterium, Cœnobium, Parthenones.
Moneta.	Nummi.
Mora. Moriccia.	Rudes.
Morſe.	Frontones.
Muro.	Mœnia, Murus, Paries.
A due teſte.	Diatoni Lapides.
A due, o tre ordini di mattoni.	Diplynthii, vel Triplynthii parietes.
A ſecco.	Macera.
Gonfio per vizio.	Proclinatio, Venter, Pando, as.
A due ale.	Dipteros, e vedi *Alæ*.
Muſaico.	Amygdalatum opus, Favi, Lithoſtratos, Cruſtæ, Aſarotum, Emblema, Teſtacea ſpicata Tiburtina, Teſſellatum opus, Vermiculatum opus.

N

Nicchie.	Columbar, Loculamenta.

O

Occhio della voluta.	Oculus.
Opera a corno.	Cornuta opera.
Opera coronata.	Coronata opera.
Oratorio.	Eccleſiaſtirion.
Orcheſtra.	Orcheſtra.

Digitized by Google

Ordine.	Diſpoſitio, Eurythmia, Diatheſis.
Ordine Toſcano.	Antiquus ordo.
Ordine Dorico.	Doricus ordo.
Ordine Corintio.	Corinthius ordo.
Ordine Jonico.	Jonicus ordo.
Ordine Compoſto.	Compoſitus ordo.
Orecchione.	Auricula.
Originale.	Archetypum.
Orlo.	Impages.
Oro.	Aurum.
Orſo.	Fiſtuca.
Orto.	Hortus.
Orti di Babilonia.	Penſiles horti.
Oſpedale.	Valetudinarium.
Ottone.	Orichalcum.
Ovolo.	Echinus.

P

PAlanca.	Phalanga.
Palco. Vedi *Ringhiera*.	
Palizzata.	Palatio, Vallum.
Palladio.	Palladium.
Palo.	Palus.
Palo.	
Paletto da ſmover ſaſſi.	Dolabra.
Palmo.	Palmus.
Parapetto. Vedi *Argine*.	
Pancia della colonna.	Entaſis.
Parettoli.	Carcheſium.
Parco.	Leporarium, Roborarium, Vivarium.
Paſſetto. Vedi *Corridore*.	
Paſſetto, miſura.	Regula, Linea.
Pavimento.	Pavimentum.

Pe-

Digitized by Google

Pecile.	Pœcile.
Peſchiera.	Piſcina.
Petraja.	Lapicidina.
Pianelle.	Ambrices.
Pianetti.	Femora.
Pianuzzo.	Supercilium.
Pianta.	Ichnographia.
Piazza.	Area, Forum, Platea.
Piazza d'arme.	Area.
Piccone.	Dolabra.
Piediſtallo.	Stylobata.
Pilaſtrata.	Paraſtatæ.
Pilaſtro.	Pila.
Piombino. Vedi *Archipenzolo*.	
Piombo.	Plumbum.
Piramide.	Pyramis.
Piumaccio. Vedi *Polvino*.	
Poggiolo. Vedi *Ringhiera*.	
Pollajo.	Gallinarium.
Pomice.	Pumex.
Ponte.	Pons.
Porcellana.	Murrhina.
Porta.	Janua, Oſtium, Porta, Fores, Thyroma.
Porta ſecreta.	Poſticum.
Portico.	Anticum, Porticus, Cryptoporticus, Pronaus, Propyleum, Pœcile, Lycæum.
Porto.	Portus.
Pozzolana.	Arena foſſilis.
Pozzo. Vedi *Ciſterna*.	
Profilo.	Scenographia.
Proporzione.	Commenſus, Symmetria, Competentia.

Digitized by Google

Puntello. Vedi *Sperone*.	
Pulvino.	Pulvinus, Pulvillus, Culcita, Torus.

R

Regia.	Auguſtale, Baſilica, Regia.
Regolo.	Aſſerculus, & vide *Anello*.
Ricinto. Vedi *Cordone*.	
Rilievo.	Anaglypha, Eminentiæ, Expreſſiones.
Rilievo baſſo.	Reductus.
Ringhiera.	Ambo, Anabathrum, Meniana, Pergula, Podium, Pulpitum, Specula.
Riparo. Vedi *Argine*.	
Ripiano.	Diazomata.
Romano. Vedi *Marco*.	
Rivellino.	Parmula.

S

Sabbione.	Sabulo.
Sala.	Aula.
Santuario.	Adytum, Sacrarium, Sanctuarium.
Saſſo.	Saxum, Lapis.
Scena.	Scena.
Scola.	Schola, Gymnaſium.
Scheggia.	Aſſula.
Schifo.	Scapha.
Scrutinio.	Comitium.
Sega.	Serra.
Segreteria. Vedi *Archivio*.	
Selce.	Silex.
Senato.	Senaculum, Senatus.

Se-

Digitized by Google

Sepolcro.	Conditorium, Sepulcrum, Tumulus.
Sfondato.	Alveus, Tympanum.
Sfiatatojo.	Colluviaria, Columnaria.
Soglia.	Hypertiron, Limen.
Solajo.	Contignatio, Diſtega, Lacunar.
Sordino. Vedi *Armatura*.	
Sottoleva.	Hypomoclion.
Spaldo, e Spalto.	Agger viæ tectæ.
Spanghetta.	Cnodaces, Subſcus.
Spartimenti.	Moduli.
Sperone.	Antemurale, Promurale, Anterides, Eriſma, Arca, Fulcrum, Orthoſtrata, Scerobata, Tibicen.
Specchio.	Speculum, Abacus, Hyaloſtraton, Quadraturæ vitreæ.
Sporti. Vedi *Aggetti*.	
Squadra.	Norma.
Stabilire.	Lorico, Trulliſſo.
Stagno.	Stannum.
Stalla.	Stabulum.
Stamperia.	Typographia.
Stanza. Vedi. *Camera*.	
Statua.	Signum, Simulacrum, Statuaria.
Statue di ſoſtegno.	Atlantes, Telamones, Cariathydes, Statuæ Perſicæ.
Statuetta.	Sigillum.
Steccati.	Cancelli.
Stipiti.	Antæ.
Strada.	Callis, Compita, Via, Semita.
Strettojo.	Cochlea.

Stuc-

Digitized by Google

Stucco.	Albarium.
Stufa.	Hypocauſtum, Laconicum, Vaporarium.

T

TAglia.	Talea.
Tagliate.	Commata, Incilia, Diacopi.
Tagliata, Fortificazione.	Reſectiones.
Taſſello.	Chelonium.
Tavola.	Aſſis.
Tavoletta.	Scandula.
Teatro.	Theatrum, Cavea, Amphitheatrum.
Tegola.	Imbrex.
Tempio.	Delubrum, Fanum, Templum, Eccleſia.
Tenaglia.	Forceps.
Termine.	Cæſalis, Cippus, Terminus, Lapis.
Terrapieno.	Arenatum, Cæſpes.
Terra ſmoſſa, Ripieno.	Congeſtitius.
Teſtuggine.	Teſtudo.
Tetto.	Tectum, Faſtigium, Aetoma, Tricorum.
Tiranti.	Cantherii.
Tondino.	Aſtragalum.
Torre.	Turris.
Tramezzi.	Metopæ, Intertignium.
Trapano.	Terebra.
Trave.	Trabs.
Tribuna.	Apſis.
Triglifi.	Triglyphi.
Tufo.	Tophus.

Vano.

Digitized by Google

V

VAno.	Lumen.
Vani. Vedi *Tramezzi*.	
Vaſajo.	Fictor, Figulus, Plaſtice.
Uccelliera.	Aviarium, Ornithones.
Vento.	Ventus.
Vetro.	Vitrum.
Viale.	Ambulacrum, Ambulatio, Geſtatio, Xyſtus, Hypetra, Porticus, Cryptoporticus, Hypogeum, Præſterga.
Vico.	Vicus.
Villa.	Villa.
Viticci. Vedi *Cartelle*.	
Vivajo. Vedi *Parco*.	
Vivo.	Craſſitudo, Solidus.
Volta.	Fornix. Apſis, Camera, Concha, Cuneus. Cameræ canniceæ.
Voluta.	Voluta.

Z

ZEppa.	Cuneus, Cultellus.

ER-

252

ERRATA. CORRIGE.

Pag. 14.	*verſ.* 13.	conflexo	conflexu
28.	5.	Punici	Puniceæ
31.	5.	ſuccedebantur	ſuccendebatur
38.	56.	ſubacto :	ſubacto ,
108.	21.	decernere	decurrere
110.	33.	delaudat	dilaudat
111.	6.	Pyrro	a Pyrrho
112.	21.	contignationes ,	contignationes
113.	30.	Sinas . Lector	Sinas , Lector ,
116.	28.	In duodecim	in duodecim
123.	29.	apoſphagiſmatis	apoſphragiſmatis
127.	32.	procidit	procedit
129.	21.	appellatum	appellatur
133.	27.	quæ non	quæ in
141.	30.	degreditur	digreditur
144.	19.	aliis	alis
148.	26.	quæſita	quæſitæ
149.	32.	non eſſent	eſſent
160.	11.	Tit.	Fit
178.	14.	eligebantur	erigebantur
182.	34.	idem	item
199.	32.	altitudinis	altitudinis .
208.	13.	remotæ	remotè
208.	12.	laborioſæ	laboriosè

Digitized by Google

253

Digitized by Google

r05663455

Digitized by Google

Digitized by Google